



En damus tibi christianissime lector, Commentaria Bibliorum et illa brevia quidem ac catholica, eruditissimi simul ac pijssimi uiri Chuonradi Pellicani Rubeaquensis, qui & Vulgatam commentarijs inseruit aeditionem, sed ad Hebraicam lectionem accurate emendatam. Habes autem in hoc opere quicquid syncerae theologiae est. Ideoque si sapis ex ipso potius Sacrorum fonte, quàm riuulis Religionem ueram imbibe.

<https://hdl.handle.net/1874/399997>

COMMENTARIUM

IN

EVANGELIUM SECUNDUM MARCVM

CAPVT PRIMVM.



INITIUM EVANGELII IESV CHRISTI A

filij dei. Sicut scriptum est in *Isaia propheta: Matthaei 3. 4*

Clementia dei omnipotentis post lapsum primi hominis non distulit Euangelij missionem, hoc est promissionem restituendae salutis aeternae, & remissionem omnium peccatorum: statim enim protoplasti Adae & Euae uxori Christus mundi redemptor promissus est, & subinde patriarchis multis Abraham, Isaac, Iacob, Dauidi, & prophetis omnibus, quorum ultimus Ioannes fuit Baptista, finis

ueteris testamenti de Christo promisso, & initium noui iam in Christo exhibitum. Quandoquidem tam lex quam Euangelium, hoc est mandatorum dei omnium instructio, & lex cum gratia dei per Christum electis in mundo donata suo modo, hoc est sub figuris & umbris, preparant per scripturas electorum animos ad cognitionem ueritatis: lege primum terrente & instruente, deinde nouissimis diebus, per dei gratiam exhibitam in Messia promisso dudum, & tandem praestito ac misso in mundum: iam preparatum dei uerbo disseminato in Israelitica in hunc finem dispersis in omnem terram per captiuitates, ad quos suo tempore peruenientes apostoli Christi, illorum fide & constantia gentes quoque unius dei agnitionem & Messiae salutem & gratiam consecutae sunt per Euangelium domini nostri Iesu Christi: quod secundum plures apostolos eadem quidem sententia, non autem eodem stilo & forma conscriptum est, ad soliditatem fidei conseruandam in omnes aetates. Vnde & apostolus Petrus per suum familiarem discipulum Marcum hoc Euangelium scribi fecit, & scriptum legitur approbasse, breuius quidem quam Mattheus, sed non insufficientius: qui non ut Matthei tantum breuioribus sententijs scripsit, quomodo Christus dei filium & doctrinam breuioribus sententijs scripsit, quomodo Christus dei filius nostrae salutis causa e coelis profectus, nostram mortalitatis carnem induit, ut innocens per crucem & mortem suam innocentiam & gratiae uitam conferret omnibus credentibus in ipsum. Hoc misso nuncio mundo latius contingere nihil potuit, unde & Euangelium dicitur, cuius initium Marcus sumpsit a propheta domini, qui omnium prophetarum maiorem & Messiae domini praecursorem & anteambulonem ex officio & studio praedixerunt dudum, ut ubi cessaret ac finem faceret prophetia, nempe in Ioanne, ibi inciperet & initium suumeret Christus Messias saluator & dominus, non iam solum propheta uel aliquis patriarcharum, per quos olim dominus mundo locutus est, sed per filium suum unigenitum, per uerbum suum, quo condidit mundum. Ore suo proprio

A

quo osculatus est suam spousam ecclesiam, qui loquens in prophetis, tandem dixit: Ecce ipse adsum, uerbum caro factum, & ex uirgine natum, plenum gratiae & ueritatis. Quod ut ab alijs explicatum latius, Marcus hic Euangelista, ut notum uerbo explicauit, Iesum Christum uerum Messiam iam creditum ex apostolorum praedicatione nominat filium dei, non sane ut caeteros electos omnes, sed ut primogenitum & unigenitum consubstantialem patri & spiritui sancto secundum assumptam naturam filius est & dicitur hominis, personaliter & uere deus & homo Christus Iesus. Cuius Euangelium initium factum est per prophetas, non unum sed multos uel omnes, quorum ultimus Malachias, & primus omnium quorum extant uisiones Isaias fuit. Ex quibus duobus hic Marcus unum quasi propheticum sensum collegit de Ioanne Baptista, qui ut initium noui testamenti, sic finis ueteris habitus est & fuit. Pro eo autem quod nos legimus Scriptum est in Isaias propheta, Graeci legunt In prophetis, data opera ut uideatur mutata litera a doctis, qui deprehenderant hoc testimonium e duobus prophetis esse conflatum.

Malach. 3. d

Isaia 40. d

Ioan. 1. c

Luce 3. d

Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit uiam tuam ante te, Vox clamantis in deserto, Parate uiam domini, rectas facite semitas eius:

Prior huius prophetiae de Ioanne Baptista pars est apud Malachiam cap. 3. Septuaginta, mutata persona loquentis ante faciem meam. Christus enim de se loquitur tanquam de alio, quae & intelligi possunt in persona patris loquentis ad filium, utrinque tamen de Ioanne Baptista prophetia intelligitur, qui & angelus domini est & dicitur patris & Christi, qui & praeparaturus dicitur uiam Christi, praenunciaturus iam adesse Messiam, poenitentiam docens factis & uerbis, Christum ostendens agnum illum esse, qui tollat peccata mundi, cuius non sit dignus soluere pedum calciamenta, ad quem discipulos suos mittit, quem suum moriendo praecessit. Vide autem huius sententiae explicationem proprio loco in loco. Hic uero suffecerit cogitare de praecessore Christi Ioanne Baptista, qui ut lucifer solem, ita Christi praedicationem antecessit, Iudaeorum animos excitauit ad expectationem mox uenturi Messiae, digitoque monstraturus uenientem, quem prophetae tot retro saeculis uenturum praedixerant. Nam prophetae qui uaticinati sunt de uenturo Christo, iidem uaticinati sunt de Ioanne Baptista, qui teambulone, ut sit sensus Malachiae: Ecce ego mitto Ioannem Baptistam electum nuncium meum ante conspectum tuum, qui mox uenturo tibi ad munus praedicandi Euangelium praeparaturus est uiam. Et Isaias 4. Ioannis praedicationem designans ait: Vox clamantis scilicet Ioannes est in deserto, Christum annuncians simul & poenitentiam, Parate uiam domini, aptate lampades, ut sponso uenienti occurratis. Rectas facite semitas eius, hoc est incedite in doctrina illius, agendo quod docetur ex uerbo dei, non declinando ad dextram uel sinistram. Et subditur ibidem: Et reuelabitur gloria domini, & uidebit omnis caro pariter quod os domini locutum est. Haec autem gloria domini quid aliud est quam filius dei Iesus Christus rex fidelium, & unicus monarcha mundi, omnem potestatem habens a patre sibi datam in caelo & in terra, cuius Euangelium os domini locutum est, cuius sonus exiuit in omnem terram?

Fuit Ioannes in deserto baptizans, & praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.

Lex

Lex etiam Mosaica prodita olim fuit in solitudine, indidē & profertur no-
 ua legis exordium. Omnia relinquat oportet qui uelit esse dignus Euangelica
 gratia, & prædicator apostolicus. In urbibus sunt opes, delitiæ, ambitio, fastus,
 sed præ cæteris Hierosolyma tunc habebat templum quo superbiebat, habebat
 carnales uictimas, quibus fidebat, festos dies, ciborum delectum, & alias cere-
 monias, sacerdotum supercilium, & pharisæorum hypocrisim. Quæ omnia re-
 linquenda sunt, & emigrandum in solitudinem, ubi lætissimus nuncius acci-
 piatur mox uenturi seruatoris. Baptizabat autem, hoc est uerbo & facto inui-
 rarent gratiam superioris uitæ, ut morbum suum agnoscentes, desyde-
 rinquum omnium opinione, qui solum baptizat spiritu et igni per fiduciam in
 Iesum, quem Ioannes docebat, tollentem omnia peccata, cœlestem gratiam ani-
 mis hominum inferentem, gratis inferentem iustitiam, & donantem remissio-
 nem peccatorum. Hoc modo uerbis & signo præparabat homines ad Christi
 aduentum digne suscipiendum, hortando & territando eos ut resipiscerent, &
 odium conciperent uitæ prioris. Non erat ille lux quæ illuminat omnem homi-
 nem uenientem in hunc mundum, sed erat nuncius lucis mox exorituræ, exci-
 tando omnium mentes ad desyderium salutis æternæ. Non erat sponsus, sed a-
 micus sponsi & antea mbulo. Non erat uerbum dei, sed uox prænuncia uerbi
 mox proferendi. Confinium fuit legis & gratiæ ueluti mixtus ex utroq; mini-
 ceremoniarum & pœnitentiam, quemadmodum & Christus cum
 apostolis. Prædicauit ergo Ioannes pœnitentiam, ut hi qui pœnitentiam ege-
 rint, suscepto Christo remissionem peccatorum in ipso consequantur.

Et egrediebatur ad illum omnis Iudææ regio & Hierosolymitæ uni Matth. 3. 4
 uerfi, & baptizabantur ab illo in Iordane flumine confitentes pecca-
 ta sua.

Non fuit inanis clamor, siquidem ad huius prædicationem territi complu-
 res relicti sedibus suis properabant ad Iordanem ex omni Iudæa & ipsa quoq;
 Hierosolyma. Multi scilicet non omnes, iuxta uulgarem scripturæ & uulgi mo-
 rem; multi enim scribarum & pharisæorum nō credebant, nec Ioanni nec Chri-
 sto. In Iordane autem baptizabantur, in figura quadam transitionis de Aegy-
 pto in terram sanctam, de mortalitatis typo in terram uiuentium, iuxta illud
 quoq; Christi Matthæi 3. Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnū cœ-
 lorum. Illud autem baptizari in aqua magnum non fuisset, nec e cœlo destina-
 tum, nisi aduisset & exhortatio sedula ad uitæ studiosam emendationem, ad o-
 dium iniquitatū, ad præparationem pro Christo suscipiendo, ad Christi domi-
 ni baptismi, & ad totius uitæ inuouationem, quam lotio hæc tantum significa-
 bat, non præbebat. Contestatio quædam fidei erat in uerba Ioannis, & proposi-
 ti melioris significatio & contestatio facta exterius, signum instituti interni,
 quod ad Ioannis prædicationem susceperant. Confitebantur autē peccata sua,
 hoc est prioris uitæ errores agnoscebant, & cupiebant sanctius post-
 hac uiuere. Non quod auricularem confessionem Ioanni fecerint, sed peccata
 sua dolere ostendebant. Fortassis & conscientiarum suarum scrupulos homini
 dei & sanctissimo propheta explicabant consilij gratia, ipsius quoq; ad deum
 intercessionem postulantes. Quos ille consolabatur per gratiam uenturi Mes-
 siæ, & saluatoris omnium, qui ablaturus esset mundi peccata, omnibus in ipsum

fidetibus & credituris. Peccata enim dimitti non possunt nisi Christo creditis, & melioris uitæ institutum promittentibus.

Et erat Ioannes uestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius, & locustas & mel syluestre edebat.

Ioannes qui sic priorem Christi aduentum præuenit quemadmodum Elias postremum aduentum præuenturus est iuxta Malachiam, uiuebat in deserto, fugitans undiq; contaminatam hominum consuetudinem, uestiebatur zona pellicea cinctos & astrictos, ante proditum Euangelium Euangelicum quiddam exprimens; respondebat autem uictus loco & cultui. Uictus erat parabilis & quæ ipse locus ultrò suppeditabat, locustæ & mel syluestre. Et hic præstitit plus præco Christi quàm lex Mosaica requirebat. Siquidem illa distinxit animalium genera, hic in totum ab esu quadrupedum uolucrum & piscium abstinere iussus. Illa prohibet ueste è lana linoq; contextam, hic sibi & lini & lanæ usum interdixit. Talis nimirum uita decebat pœnitentiæ præconem, qui tamen sanctificatus est in utero matris, tamen austeram uitam agebat, ne parum haberet ponderis prædicatio, si mores doctrinæ non respondissent.

Et prædicabat, dicens: Venit fortior me post me, cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calciamentorum eius. Ego baptizauis uos aqua, ille uero baptizabit uos spiritu sancto.

Ioannes uictu, amictu & cæteris uitæ suæ moribus tantam auctoritatem & gloriam sibi pepererat apud Iudæos, ut pleriq; suspicarentur eum esse Messiam. Ille uero tamen uir esset deo gratissimus, plurimisq; diuinis dotibus præditus, tamen intelligens quantum scelus esset hominem sibi uendicare gloriam dei, aut hominem in homine salutis præsidium collocare, palàm apud omnes prædicabat, dicens: Non sum is quem uos me esse suspicamini. Humilis ac dilata est mea doctrina, meus baptismus præparatio quædam est. Ipse nihil aliud sum quàm homo uobis similis, natus in peccatis, nec aliud sum quàm nuncius eius qui mox uenturus est, ut omnibus conferat salutem. Tempore quidem me posterior est, & iuxta humanam æstimationem minus hodie habere uideatur auctoritatis, sed adeò me præcellit uirtute cœlesti, ut ego quem uos suspicatis, non sum dignus qui illi infimi mancipij ministerium exhibeam, ac procumbens humi soluam corrigiam calciamentorum eius. Ille uobis erit suspiciendus, ille studijs omnibus expetendus. Ego prædico terrena, ille docebit cœlestia. Ego hæc uos baptizauis iuxta corpus aqua, præparans animos uestros ad pœnitentiam doctrinis legis & exhortationibus, ille ubi prodierit, baptizabit uos spiritu sancto, cuius occulta uis sanctificat omnia. Etenim quemadmodum nullus hominum ex sese habet iustitiam, ita nulli potest conferre. Maior homine sit operari qui hæc præstet quod solius est dei, nempe dare spiritum sanctum, purificare conscientiam, peccata remittere, animas uiuificare. Quanto aqua spiritui sancto inferior est, hoc est creatura deo, tãto ego sum illo inferior atq; minor. Mox de Christi baptismo sequitur.

Et factum est, in diebus illis uenit Iesus à Nazareth Galilææ, & baptizatus est à Ioanne in Iordane.

Postquam Ioannes huiusmodi & alijs uerbis, quæ non omnia scripta sunt, multorum animos excitasset ad expectationem uenturi Messie, commodum ac suo tempore prodijt Iesus, relicta Nazareth uiculo Galilææ, ubi quod esset cœlitatus

Matth. 3. c

Luca 3. c

Ioan. 1. d

Acto. 1. d. 2. d

11. c. 19. d

Matth. 3. d

Luca 3. d

Ioan. 1. c

catus ac dñi uersatus etiã natus existimabatur. Hæc uidelicet est natura Euangelicarum rerum, ex minimis initijs paulatim ad summa proficere, quum contra mundi satanæq; molimina à magnificis initijs exorta, subito ad ima præcognitione, prodijt ab humili uiculo à Galilæa contemptissima Iudaicæ gentis res, milites, meretrices & publicanos ad baptismũ pœnitentiæ uenit ille purificans omnia. Non erat illi satis circumcisum fuisse iuxta legis præscriptum, purificatum quoq; iuxta Mosis traditionem, Ioannis quoq; baptismũ ambit. Nos interim erudiens & docens, ei qui se paret ad Euangelici doctoris munus nihil quod pertineat ad aliquem gradum pietatis, nihil nõ fugiendum quod offendiculum præbeat infirmis. Docuit hoc Ioannes non esse conciliandam autoritatem doctori splendore uestium, aut strepitu uitæ, sed integritate morum. Sed perfectius & à Iudaismo longius erat quod exhibuit Christus, qui cultu uicũq; nihil differens à cæteris, tamen innocentia, mansuetudine, benedicti domini Iesu in hoc fuit, ut ipsum mundus agnosceret unicum esse salutis auctorem, ut nobis Euangelicæ ueræq; pietatis formam exprimeret, & de præteritis prophetarum ac Mosis fidem confirmaret, de futuris uelut arrabone dato certam faceret expectationem. Libentius enim illi credimus, de quo magnifice sentimus, & in quem multorum testimonia consentiunt. Procuratum est igitur diuino consilio, ut undiquaq; testimoniũ ferret dominus Iesus. Totius legis, prophetarum omnium, angelorum, pastorum, magorum, scribarum, Simeonis, Annæ, Ioannis Baptistæ, patris, spiritus sancti, deniq; Pilati & dæmonum, miraculis etiam ipsis filium dei clamantibus. Multa uero gessit, ut nobis uitæ formam in seipso exprimeret, quædam ut prophetarum uaticinia impleret. Hic ad baptismũ Ioannis uenit ueluti pœnitens, innocentia author ambit baptismum canis & milites. Ille fons omnis puritatis, ille rex regum & dominus non fastidit uit commune cum populo lauacrum, sed quisquis sese deijcit apud homines, is attollitur apud deum.

Et statim ascendens de aqua, uidit cœlos apertos, & spiritum sanctum B
 Etum tanquam columbam descendantem & manentem in ipso.

Ut unus quilibet è populo baptizatus est Iesus, sed pater cœlestis insigni et inaudito signo secreuit eum à reliquis. Etenim simul atq; Iesus relicto Iordane quem sui sacri corporis contactu cõsecrarat, sese recepisset in terrã, dum intensus est precationi, Ioannes uidit diffindi cœlos, atq; inde spiritum sanctum deuolare in sacrum uerticem domini, atq; inibi commorari. Adæ superbia paradisi nobis clauerat & cœlum, Christi modestia pro paradiso cœlum nobis aperuit. Visibile signum exhibitũ est oculis, sed quo doceremur quales animos amat spiritus ille cœlestis, & quales redderet. Satanæ mundiçq; spiritus reddit & amat animos elatos, tumidos, feroces: at spiritus ille cœlestis amat modestos, & tranquillos. Nihil enim columba simpliciũ, aut à pugna raptuçq; alienius. Expressum est in domino corporali typo quid fiat spiritaliter in omnibus, qui sincera fide suscipiunt baptismum Euangelicum. Corpus aqua tingitur, sed mēs inuisibili gratia perungitur. Porro quod in uertice domini columba permansit, designabat cæteris quidem pijs pro modo fidei dari spiritum sanctum, prout rerum præsens usus postularit: cæterum in Iesu perennis erat fons omnis gratiæ cœlestis. Neq; enim columba tum deferebat ad illum nouam gra

tiam, sed plenitudinem in eo gratiæ declarabat, et unde nobis omnis gratia manaret, ostendit.

Et uox facta est de cœlis, Tu es filius meus dilectus, in te cōplacui. Graue erat apud Iudæos Ioannis de Christo testimonium, sed longe grauius testimonium ipsius patris, cuius uox e cœlis insonuit, dicens: Tu es ille filius meus unice charus, in quo sibi placet animus meus. Ex æquo deus creaturas amat, quas omnes conseruat & moderatur. Et sanctificatos quidem suo spiritu homines fide pollentes, ut filios diligit, & adoptiuorum hæreditate ditat persequerantes. Sed is filius Christus dominus uerbum patris sine tempore ab æterno genitus, & in utero uirginis humanatus, carne assumpta filius est unice charus supra omnes, cui nemo similis, unigenitus & ante sæcula natus, prædestinatus, primogenitus creaturarum omnium, cui digne et merito pater regnum daret in cœlo & terra. Tu nunc, inquit, es ille meus unigenitus & dilectus pater omnibus, in te mihi eatenus complacui, ut & pro totius mundi salute & peccatis placari per te uelim. Tu, inquam, ille es meus filius, quæ genui hodie, & cui hæreditatem dedi omnes terræ fines, quem à dextris sedentem præficiam omnibus potestatibus contrarijs. Quem si audierint homines me audient, si susceperint, me susceptum putabo. Si quis eum obseruare recusat, me placatum minime habebit. Apparuit ergo in baptismo hoc tota diuinæ maiestatis trinitas, pater quidem ingenitus in uoce, spiritus sanctus in columbæ specie, filius autem uerbo & personæ filij unita fuerunt, tunc quoque in unitatem personæ & speciei uel natura unita est spiritui sancto cuius tantum significatio fuit.

Matth. 4.4
Lucæ 4.4

Et statim spiritus expulit eum in desertum. Et erat in deserto quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tentabatur à satana: eratque cum bestijs. Et angeli ministrabant illi.

Non est ignauus aut languidus spiritus ille cœlestis etiam in Christi humanitate & anima, igneus ubique est, statim uim suam exerit. Ideo in quibus iam mortificatus est spiritus carnis, & aguntur spiritu dei, mox ad fortia sublimia & gratiantur ad certamen cum immundo spiritu, quem non dubitant in se prouocare, nimirum freti præsidio spiritus cœlestis, qui fortior est omnibus qui reputant Euangelio. Iesus igitur in se exprimens quid à nobis fieri uellet, statim à baptismo spiritus sancti uigore actus est in desertum. Illic commoratus est quadraginta diebus & totidem noctes, perseverans in precationibus ac ieiunijs, in terimque à satana tentabatur. Quem satanam dominus Iesus à se fractum nobis deuincendum tradidit, uiam etiam uincendi commonstrans. Vincitur enim spiritu Christi, uincitur assiduis precationibus, uincitur perpetua uitæ sobrietate, uincitur armis scripturæ diuinæ. Interim abstinebat omni solatio mortali, uiuēs inter bestijs. Nihil erat illi periculi à turba hominum, sed commonstrauit nouo militi necessariam esse fugam promiscuæ multitudinis, donec dominus spiritus robur iustum collegerit. Nonnullis enim tutius est uersari inter bestijs cum Christo, quam inter homines bestijs nocētiores. Versabatur quidem dominus inter bestijs, sed destituito ministerio hominum aderant angeli & ministrabant ei. Qui reiiciunt omnes huius mundi uoluptates his adsumunt solatia cœlestia. Nobis baptizatus est Christus, nobis deprecatus est, nobis testimonio

spiritus insignitus est, nobis secessit, nobis ieiunauit, nobis tentatus est, nobis uicit. Reliqua hoc loco uide proprio in loco apud Erasmum.

Postquam autem traditus est Ioannes, uenit Iesus in Galilæam, prædicans Euangelium regni dei, & dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinquabit regnum dei: poenitemini, & credite Euangelio.

Matth. 4.6

Luce 4.6

Ioan. 4.5

Dominus Iesus idoneus erat Euangelicę prædicationi, quo non aliud minus perfectius, etiam tum, quum admodum esset puer, sed nobis exemplum in se parauit, non esse statim ac temere ad tam sacram functionē prorumpendum. Quamdiu autem florebat Ioannis prædicatione, qui ex parte legis sustinebat perfonam (nam & lex perducit suo modo ad Christum) Dominus Iesus ne cui uideretur æmulationem cum Ioanne suscipere, aut ne legem quam uenerat ab soluturus abrogare uideretur, nec palam prædicabat, nec miraculis nisi paucis uirtutem suam exerebat, nec discipulos colligebat, quin potius semet ut Ioan- ceterum posteaq; Eliæ spiritu regem increpasset Ioannes, quo sanctior natus non est, coniectusq; ob id esset ab Herode in carcerem, Christus dominus illi ueluti successit. Antecedit enim quod est carnale & imperfectum, succedit autem quod perfectum est & spirituale. Is dominus Iesus primum prodit in Galilæam, ubi in parte Iudææ contemptibilissima placuit auspiciari lucis Euangelicę exortū. Non enim merebatur hoc honoris superba Hierosolyma, quæ cum esset cæca sibi uidebatur oculata, & ob hoc ipsum magis insanabilis. Est autem operæpretium considerare quibus modis auspicietur doctrinam suam. Huius mundi philosophi primum ea obijciunt auditoribus, non quæ sunt utilissima, sed quæ ipsis conciliant admirationem non uulgaris sapientiæ, cum primis illud captantes ad gloriã, ut ab alijs magni nominis doctoribus dissentiant. Dominus Iesus nec legis autoritatem uoluit antiquare, sed non intellectã interpretatur, & perficit potius quàm destruit. Nec Ioannis doctrinam licet imperfectam refellit, sed ab iisdem exordijs auspiciatus est suam prædicationem, quibus ille coeperat. Diceres esse Ioannis discipulum qui erat magister & autor omnium. Quid autem prædicat? quid clamat sermo patris æterni? Lege naturæ quam deus inscripserat cordibus omnium mortalium abusi sunt homines. Philosophorum sapientia reddidit mundum stultiolem quàm fuerat. Gentium religio hæcenus summa fuit impietas. Lex Mosis suis umbris, uictimis, ac terroribus fecit hypocritas. Lex figuris suis innuit, prophetæ suis oraculis prædixerunt uenturū, qui perfectam salutem offerret omnibus gentibus. Ad hanc pro- missionem quoniam diu dilata est, mundus uelut obsurduerat, sed non est oblitus dominus promissi sui. Tempus quod ille huic negotio præfinierat iam expletum est. Non est quod posthac expectetis figuras alias aut ceremoniarum anigmata. Non est quod expectetis uobis novos prophetas. Ecce iam adest regnum dei. Non est quod quisquam ad suræ iustitiæ præsidia respiciet. Ad Mosaicæ legis æstimationem fortasse aliqui iusti sunt, ad Euangelicæ legis exactionem peccatores sunt omnes homines. Non est tamen quod desperetis, agnoscite morbum, & accipite remedium, tantum poeniteat uos uitæ superioris, & credite Euangelio. Offeritur lætus & optabilis nūcius, gratuita con- donatio omnium peccatorum: nihil opus est holocaustomatis, tantum agno-

scite uestram iniustitiam, & confidite dei iustitiæ, qui quod per Euangelium pollicetur haud dubie præstaturus est. Promerebitur promissum quisquis crediderit promittenti.

Matth. 4. e
Lucæ 5. 8

Et præteriens secus mare Galilææ, uidit Simonem & Andream fratrem eius, mittentes retia in mare: erant enim piscatores,

Huiusmodi sermonibus quum dominus Iesus excitasset animos Iudæorum ad philosophiam Euangelicam, cœpit & ipse Ioannis exemplo discipulos alios quos colligere, sed paucos, eosque rudes & humiles, ut per hos conuersis totius orbis nationibus uere constaret regnum esse dei, non mundi. Proinde cum die quodam faceret iter iuxta lacum Galilææ, uidit Iesus Simonem & Andream fratrem eius opera communi laborantes, ut retia laxarent in lacum: erant enim piscatores, & hac arte sibi uictum comparabant. Humilitas artis faciebat ad gloriam: concordia fratrum denotabat ecclesiæ consensum: piscatura typum habebat Euangelici muneris, quod per sermonem dei mortales immeritos ignorantia tenebris ac sordidis huius mundi curis extrahit ad lucem ueritatis ac cœlestium rerum amorem.

& dixit eis Iesus: Venite post me, & faciã uos fieri piscatores hominum. Et protinus relictis retibus secuti sunt eum. Et progressus inde pusillum, uidit Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem eius, & ipsos componentes retia in nauis, & statim uocauit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in nauis cum mercenarijs, secuti sunt eum.

Hos igitur piscantes primum piscatus est Iesus. Venite, inquit, & me sequimini: efficiam enim ut incipiatis esse piscatores hominum. Ad hanc uocem duo fratres nihil cõtati relictis ut erant retibus, sequuti sunt dominum Iesum: nam Iesu uox cœlestis habebat inuentum. Atque hinc progressus pusillum de minimis, conspexit alios duos Iacobum Zebedæi filium, & Ioannem fratrem eius, qui & ipsi reconcinnabant retia sua in nauis, adornantes piscationem. Et hos alibi intentos suis negotijs subito interpellans Iesus uocauit, iussitque ut se sequerentur. Ut autem agnoscas iuuenes Euangelicæ fiducia, nihil morati, relicto etiam patre Zebedæo unã cum mercenarijs in nauis, repente secuti sunt uocantem. Ab his initijs dominus Iesus collegit principes ecclesiæ suæ, fastidit enim homines huius sæculi, potentes & nobiles, diuites & sæculariter sapientes, & multo his difficiliter eloquentes, deo credunt. Obcæcatur enim mens eorum diuitijs, opibus, & luxuria, uitijs implexi & excæcati uidere non ualent uirtutis claritatem, & simplicitatem scripturæ sacrę non ex maiestate sensum, sed ex uerborum iudicant uilitate. Vocantur ergo quatuor piscatores, qui & relictis omnibus sequuntur. Hac quadriga uehimur ad athera. Quin & nobis similiter præcipitur, ut audiamus uocantem dominum, obliuiscamur uitorum, & domus paternæ traditionis, quæ est stultitia deo & rete araneorum, quo nos penè lapsos uelut culices tenebat aer inanis. Nauem pristina conuersationis suam. Præcursoris Ioannis hi fuerant discipuli, qui audientes Ioannis testimonium de Christo, ipsum adierant, capto Ioanne cœli redierunt ad artem. Vnde de nunc illos Christus uidetur secundo uocare. Vide autem quomodo iustus se laboribus nutriant, digni qui à dño uocarentur, ideo moras non neccunt uocati, sequuntur statim. Reliquerant duo patrem suum, non quod bonum sit relicta quere parentes, nisi ad pietatem tibi obsiterint. Apparet Zebedæum non esse didisse,

didisse, sed matrem filiorum eodem mortuo patre, quæ & cum filiis secuta est dominum, Mercenarij dicuntur qui in naui patrem cum filiis adiuuabant mercedis gratia. Ne uero putetur à filiis pater derelictus in necessario opere, quando notatur hic, patri adfuisse pro filiis reliquos quoq; adiutores piscationis pro mercede, ut filiorum interim opera carere pater potuerit.

Et ingrediuntur Capharnaum, & statim sabbatis ingressus in synagogam, docebat eos. Et stupebant super doctrina eius: erat enim docēs eos quasi potestatem habens, & non sicut scribæ.

Sodalitio eiusmodi comitatus Christus uenit in Capernaū. Ea ciuitas erat ut opibus florens ita superba simul & impia. Hic statim aggressus est Euangelistæ munus: nam sabbato ingressus synagogam publicitus docebat Iudæos, non inania pharisæorum commenta, sed ueram legis mentem explicans. Sena sit illico populus nouum doctorem, nouumq; doctrinæ genus. Hominem uidebant humilē, raro contemptoq; sodalitiū stipatū, sed admirabantur sermonem, uim quandam diuinam spirantem. Neq; enim scribarum in morem docebat frigidis cōstitutiuinculas, & aniles fabulas de genealogijs & ablutionibus, sed diuisis aderat auctoritas, ac sermoni ueraci fidem astruebat miraculorum magnitudo. Et ecce protinus adest ædendi miraculī occasio apud synagogam, ubi quæ fuerant congregati sacra legebant ex lege & prophetis duplicem lectionem, illic & Christus ut doceret ingreditur. Lex non iubet otiosos sedere in sabbato, sed lectioni sacra uacare: unde & ad hoc congregabantur, & ut orarent. Docuit autem Christus & arguebat desides, non adulabatur ut pharisæi: hortabatur ad bonum quidem, sed interim quoq; pœnam minabatur incredulis.

Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamauit, dicens: Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? uenisti perdere nos? scio quod sis sanctus dei.

Quamquam adsit dominus suo spiritu, ubi docetur & auditur uerbum domini, ubi sacra scriptura digne tractatur, nihil tamen prohibet etiam inter illos esse qui spiritu agantur immundo. Hoc autem boni accidere potest non bonis, ex societate honorum, & auditu uerbi dei, ut à spiritu liberentur immundus. Non fert autem spiritum cœlestem in Christo loquentem spiritus impius: cœpit enim obstrepere doctrinæ cœlesti, uociferans ac dicens: Quid tibi nobiscum rei est Iesu Nazarene? Ut enim calor frigori, lux tenebris, sanitas morbo aduersatur, sic sanctitas immundo spiritui, quæ tanta erat in Christo, ut spiritus illi tormento esset, quinimò & uerba Christi. Ideo dicebat: Venisti perdere nos? Scio, ait, quis sis, sanctus ille, & per eminentiam sanctus. Contraria sunt sanctum & immundum, quod fortius est alterum uincit & superat. Verba autem illa homo loqui uidebatur, sed dæmonis erant, qui illius utebatur organis. Ideo dominus non homini sed dæmoni respondet, & increpat eum. Ex his instruemur, cum feriamur à terrenis, & aggregamur ad audienda diuina, cœlestem nobis aduenire fauorem; spiritus quoq; immundos sanctimoniam & uerbum dei ferre non posse. An non autem pessimo dæmonio obnoxius est, quem totum possidet ambitio, auaritia, liuor, odium, libido, cæteræq; cupiditates impiæ? Huiusmodi qui sunt, non ferunt sermonem Euangelicum, sed uociferantur, Quid tibi nobiscum est Iesu? uenisti ut perderes nos? Etenim quos possidet huius mundi spiritus, perdi se credūt, quoties coguntur ea relinquere, in quibus

C
Matth. 4. b
Lucæ 4. c
Matth. 7. d
Lucæ 4. e

bus sibi falsam constituerunt felicitatem. Scio, inquit, qui sis, nimirum sanctus ille olim promissus à prophetis, quē deus præ cæteris unice sanctificauit. Non erat autem hæc uoluntatis confessio, sed necessitatis extorsio, ueluti dum scituus fugitiuus uisum dominum pertimescit, & de uerberibus deprecatur.

Et comminatus est ei Iesus, dicens: Obmutesce, & exi de homine. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans uoce magna, exiit ab eo.

Dominus siue quia nondum uenerat tempus ut palàm profiteretur quis esset, siue quia nō placebat uera quidem illa sed metu extorta professio, & ab impio profecta spiritus, qui quum ex se sit mendax, & fallere gaudeat humanum genus, nec uera quoque loquens erat audiendus apud populum, ne quis illi post credat mentienti, increpauit illum, dicēs: Obmutesce, & exi ab homine, sic melius prædicabis qui sim. Nec mora, spiritus impurus ad uocem iubentis domini reliquit hominem, sed dilanians eum, atque ingenti clamore uociferans, ut palàm esset illum non superte sponte sed uirtute diuina coactum profugere. Nihil enim est dæmonij genus tam pertinax, quod ad Iesu iussum non aufugiat. Maius autem miraculum est, ex ambizioso modestum, ex feroci tolerantem, ex libidinoso castum, ex rapaci liberalē reddere, quam corpus hominis ab impio spiritu liberare. Sed illud magis admirantur homines, non quia sit mirabilis, sed quia cernatur oculis corporis.

Et mirati sunt omnes, ita ut conquirent inter se, dicentes: Quidnam est hoc: quænam doctrina hæc noua, quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei: Et processit rumor eius statim in omnem regionem Galilææ.

Simplici iussu à domino profligatum impurum spiritum uehementer tum admirati sunt Iudæi, ut inter sese conquirent, dicēs: Quid hoc est nouæ rei: Nihil tale legimus unquam à prophetis esse factum, ut simplici uerbo propellerent dæmonia. Aut quænam est hæc doctrina noua, quam tanta uirtus conuertitur: Prædicat regnum dei, & profert uirtutem dei, satanæ uires conterēs. Neque enim magicis precibus, aut proluxa ad deum flagitatione, aut alioqui magno negotio profligat impios spiritus, sed ceu dominus ac uictor illorum nudo uerbo imperat illis, & uolentes nolentes obediunt ei. Ex hoc admirabili factis: Nam Iesu dimanauit per uniuersam regionem Galilææ. Magnū enim erat auctoritatem & uirtute, ut uelut propria non ab alio accepta potestate hæc ageret omnia. Nō ergo mirum, ut rumor tantarum rerum dimanarit ad regiones proximas.

Matth. 8. b
Luc. 4. f

Et protinus egredientes de synagoga, uenerunt in domum Simonis & Andree cum Iacobo & Ioanne. Recumbat autem socrus Simonis febricitans, & statim dicunt ei de illa. Et accedens eleuauit eam apprehensa manu eius, & continuo dimisit eam febris, & ministrabat eis.

Ut liqueret in Christo fontem esse diuinæ uirtutis, quæ non possit exhaustari, miracula miraculis succedunt. Mox enim ut egressi sunt de synagoga, uenerunt in ædes Simonis & Andree, eodem comitantibus Iacobo & Ioanne, socrus Simonis ut ederent panem: dei autem id dispensatione ordinante. Porro socrus Simonis decumbebat, ut intelligas Petro fuisse uxorem, grauius laborans febris.

Bus rei simul atq; commonescisset Iesum, accedit ad lectum, & apprehensa mulieris manu, erexit eam subito, & protinus eam reliquit febris. Nec minus perfecta fuit quam subitanea sanitas: subito enim redierat vigor mulieri, sic ut obiens solita munia ministraret Iesu cum suis discipulis. Periculose decumbit quisquis carnalium uoluptatum amore aestuat, quisquis per luxum uitā ignam trahit. Mulier decūbit, & olim prima pomi illecebra capta, cœpit hac febris laborare. Caro nostra quę concupiscit aduersus spiritum Eua nostra est. Sed felices quos actu sui spiritus ad cœlestium rerum amorem subrigit Iesus, ut qui prius seruebat otio, luxui, aut immunditiā, subito uigore recepto mutatus seruiat castitati, puritati, & sobrietati: nam his epulis delectatur & reficitur Iesus. Rogemus & nos, qui sumus in ecclesia, ut metuculosos & literæ affixos, ceremonijs addictos, corruptosq; iudicio, ea uehementer expetentes quæ digna sunt, contra ab his abhorretes quæ sola sunt expetenda, porrecta dextra dignetur erigere ad libertatem Euangelicam, quę non in hoc ualet ut licentius peccetur, sed ut alacres & ualentes obeamus munia charitatis Euangelicæ, & Iesum in suis membris refocilemus.

Vespere autem facto, cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes **D** male habentes, & dæmonia habentes: & erat omnis ciuitas congregata ad ianuam. Et curauit multos qui uexabantur uarijs languoribus, & dæmonia multa eiiciebat, et nō sinebat ea loqui, quoniā sciebant eū.

Semper paratus est dominus ad sanitatem animi conferendam, si quis in-terpellat. Non semper prodest sanitas corporis, ideo non semper nec sine condi-tione petenda à domino. Amat uero Christus uel intempestiuos et importunos interpellatores. Iam erat multa uespera, solq; occiderat, ut improbum uideri posset medicum id temporis interpellare, sed uicit sanitatis desyderium pudorem. Adduxerant plurimos omni morborum genere correptos, atq; inter hos etiam impuris spiritibus obnoxios. Ad hoc spectaculū confluxerat ad ianuam domus tota ciuitas Capernaum. Iesus autem nihil causatus sanabat plurimos, qui uarijs morbis tenebantur, ac dæmonia multa eiiciebat. Celer & expeditus erat medicus, qui dicto pelleret morbum. Porro dæmonia uociferantia ipsum esse Christum coercuit, respuens testimonium ab hostibus, & cum quibus no-dicari sustinuit, à dæmonibus nullum recepit testimonium, tametsi uerum. Læ-bi fidem conciliauit improbus author, & nocentius mendax est, qui ueritatis sta-tatem nisi crederent Iesum posse & uelle cōferre salutem. Quod additur, Quo-d & dicentia, Quia tu es filius dei: & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebāt eum esse Christum. Dæmonia ergo Christum esse sciunt, & dei filium esse con-sitentur, adducti per signorum potentiam.

Et diluculo ualde surgens, egressus abiit in desertum locum: ibiq; orabat. Et profecutus est eum Simon, & qui cum eo erant.

Dominus Iesus non in hoc proprie uenerat ut mederetur morbis corporū, quos ipse suis nonnunquam immittit ut ualeant animo, quum uideret multitu-dinem magna auiditate quarere sanitatem corporis, quæ non pari studio inbia-rat doctrinæ cœlesti, qua sanantur animarum morbi. Postridie uelut otij desy-

derio sefellit turbam, admodum diluculo surgens, ac relicta Capernaum abiens in locum desertū, illic orabat, patri gratias agens pro beneficijs, quæ per ipsum humano generi largiri decreuisset. Atq; hic interim nobis nō simplex paratur exemplum, post collatam in alios beneficentiā, oportere secedere, ne præmium ab ijs quibus benefecimus uideamur expectare. Deinde nonnunquam ad tem pus intermittendam salutiferam doctrinam, quo magis irrite appetentiā animorum. Postremo crebris secessibus, qui rerum cœlestium contemplationi dantur, non uoluptati, spiritum esse uegetandum, quo ad iuuandum infirmos redeat alacrior. Secessit autē in desertum, non quisquis locum mutauit, sed qui animum à curis huius uitæ ad cœlestium rerum contemplationem seuoauit. Simon Petrus reliquiq; discipuli ubi senserunt clam abisse Iesum, persequuntur sunt illum, donec inuenirent ubinam esset. Non enim decet ueros Iesu discipulos unquam abesse à domino suo, quem oportet in omnibus æmulari.

Et cum inuenissent eum, dixerunt ei, Quia omnes quæerunt te. Et ait illis: Eamus in proximos uicos & ciuitates, ut & ibi prædicē: ad hoc enim ueni. Et erat prædicans in synagogis eorum, in omni Galilæa, & dæmonia eiiciens.

Turba quæ mane confluxerat ad ostium domus, ubi didicisset Iesum abisse se, consequuta est illum in desertum. Multi sequuntur Iesum, soli discipuli inueniunt, & inuentum alijs commonstrant. Nunciant itaq; domino adesse magnam uim Capernaitarum, qui quæerent ipsum. Ad quos dominus adesse in præsentia hæc fundamenta iacta esse apud Capernaitas, ceterum tempus est ut proficiscamur & in propinqua oppidula uicosq; ut et illic prædicē regnum dei. Non enim in hoc ueni, ut uni prædicem ciuitati, sed ut omnibus annunciem salutem. Peragrabat itaq; dominus Iesus oppida uicosq; totius Galilæe, prædicans in synagogis eorum, morbos quoq; depellens, ac dæmonia eiiciens, ut apud rudem populum potentibus factis fidem adderet doctrinæ suæ. Vbi que diffundendi erant radij sermonis, non circumscribenda uno loco doctrinæ erat, Iungit quoq; practicam doctrinæ, sanat & docet. Sic & tu quoq; quum docueris etiam opera bona fac, ne uanus habeatur & sit sermo tuus. In hac autem prædicatione intelligitur etiam sermo iste habitus in monte quem reuertit Matthæus: nam hic Marcus adiungit, Et uenit ad eum leprosus. De quo nulla dicit, quibus intelligitur esse illum, quem Matthæus narrat sanatum à domino cum descendisset ab eodem monte.

Matth. 8.4
Luce 5.6

Et uenit ad eum leprosus deprecans eum, et genu flexo, dixit: Si uis, potes me mundare. Iesus autem misertus eius, extendit manum suam, & tangens eum, ait illi: Volo, Mundare. Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est.

Posteaquam Iesus in monte quodam multa præclara docuisset discipulos & populum, de perfectione professionis Euangelicæ, descendenti occurrit quidam, lepra abominabili morbo pariter & insanabili infectus, in quo corporeis oculis exhiberetur imago eorum quæ inuisibiliter gesserat in animis audientium. Oderat morbum suum leprosus, ac summam de Iesu cōceperat fiduciam. Agnoscis respicientem peccatorem sanitati proximum. Non ueritus est turbam, cui se sciebat esse abominandum, tantū Iesu bonitatem habebat præ oculis. Ad hunc igitur accurrit, accidit ad genua. Quid hic faceret superbus pharisæus? clamaret, Submouete detestabilem leprosum, ne uel oculos nostros inquinat.

riat: lauacrum statim posceret, quo hominis afflatū ablueret. Hoc faceret pharisæus animo contaminatior quā quiuis leprosus corpore. Quid autem miris-
simus dominus, qui solus erat purus ab omni macula? Non propellit à conspe-
ctu, non submouet à genibus, non ignorabat quid peteret, sed insignem homi-
nis fiduciam uoluit omnibus esse exemplo. Qui libidine, qui auaritia, qui odio,
qui inuidia, ceterisque foedis cupiditatibus tenentur, execrabili lepra sunt op-
pleti. Audiant hi uocem huius leprosi ut imitentur. Si uis, inquit, potes me
mundare. Agnoscit morbum, de potentia bonitateque domini non dubitat. De
se, an dignus sit tanto beneficio, iudiciū defert domino, gratias acturus si con-
sequatur quod petijt, nō murmuraturus si non impetret. Diceret enim, Potest
ille lepram pellere, qui præter omne morborum genus etiam dæmonia eiicit: et
quis non promerear quod impetrant omnes. Hæc tanta fiducia cum summa mo-
deratione impetrauit misericordiam Iesu. Nam affectum quendam mi-
sericordiæ ipso etiam uultu præ se ferebat, ut nos doceret quales oporteat esse
erga peccatores. Manu porrecta contigit leprosum, ac uerbis ab ipso præscri-
ptis mundauit hominem. Dixerat ille: Si uis, potes mundare. Iesus ait: Volo,
mundatus esto. Non est multiloqua sincera fides, neque grauatim præstat bene-
ficium Evangelica charitas. Vix ea dixerat, Mundus esto, discessit ab homine
totus morbus, sic ut nulla mali uestigia relinqueret. Lex Mosi phibet leprosum
contingere, neque caret saluari doctrina sensus spiritualis. Abstinentum à con-
tactus iniquatorū anima & moribus, ne mali contagium transeat ad nos. Sed
dominus Iesus lege superior est, neque contactu potest inquinari, qui quicquid
contingit reddit purum.

Et comminatus est ei, statimque eiecit illum, & dicit ei: Vide nemini
dixeris, sed uade, ostende te principibus sacerdotum, et offer pro emun-
datione tua quæ præcepit Moyses in testimonium illis.

Dominus non passus est hominem sese statim consecrari, sed coegit discede-
re, interminatus ne quid huius rei apud quenquam efferret. Quin potius abi, in-
quit, & ostende te sacerdoti, cuius iudicio iuxta legis ritus leprosus es iudica-
tus, & si te pronunciauerit uere purum à lepra, offer id quod Moyses præcepit
offerri ab ijs quibus contigisset à lepra liberari. Sic maiore fide prædicabis de
in te beneficium, quam si statim clamites apud omnes te mundum esse à lepra.
Nam hac ratione constabit ipsis etiam pharisæis, mea beneficia calūnantibus,
te fuisse uere leprosum, & præter medicorum aut legis subsidium solo contactu
simpliciter uerbo fuisse mundatum, & intelligent adesse quendam ipsorum sa-
cerdotio maiorem, qui nullo negotio lepram quamuis execrabilem tollat, cum
ipsi magno negotio de lepra iudicent. Comminatus dicitur, hoc est in spiritu le-
nitatis dixit, Videne, caue, noli, quibus etiam aliquando adiecit dominus, Ne
deterius tibi aliquid contingat. Eiecit quoque pro ablegauit, siue quod celeriter
siue quod inuitum dimisit, ne sodalitati adesset, antequam legitime satisfacisset
sacerdotibus.

Egressus cepit prædicare & diffamare sermonem, ita ut iam non Luce 4. g
posset manifeste introire in ciuitatem, sed foris in desertis locis esse: &
conueniebant ad eum undique.

Abijt pro leproso purus, adijt sacerdotem, inspectus est, iudicatus est purus
ab omni lepra: moxque factum ipsum non tacuit, sed diuulgauit passim, et hoc et

alia multa de Iesu prædicans. Dicit hic quispiam, Cur in altero præstitit quod erat iussus, in altero neglexit domini præceptum? Quoniam alterum pertinaciter ad confirmandam miraculi certitudinem, ut sacerdos ignarus à quo sanatus esset pronūciaret de perfecta sanitate per Iesum restituta, qui fortasse calumniaturus fuisset Iesu beneficium si priusquam pronūciaret author beneficii fuisset cognitus. Sed confirmato post sacerdotis sententiā miraculo, ad dei gloriam pertinebat diuulgare quod factū fuerat. Cur igitur dominus iussit silere, quod uoluit diuulgari? Nimirum ut nos admoneret ex benefactis nostris, quæ deus operatur per nos, non esse quærendam gloriam apud homines, quod ea speciosior sequatur fugitantem. Magni animi est sic dare beneficium, ut ab eo cui das nolis tibi gratias agi, contentus iuuisse proximum. Caterum hoc maiore studio prædicare debet apud omnes, qui beneficio adiutus est. Christo nihil erat ab inani gloria periculi, sed nobis quibus hinc plurimum est discriminis exemplum hoc parabatur. Neque uir ille contempsit Christi iussa, sed immensa lætitia de sanitate reddita, & impotens amor erga salutis authorem, non patiebatur illum silere. Fit autem ferè, ut maiore cum fide narremus, quæ malueramus silere, nisi res ipsa cogeret efferre quod est in animo. Quid autem est omnium est ex huius hominis prædicatione? Tanta de domino Iesu nata est opinio, ut iam ob turbam affluentium non posset palàm ingredi ciuitatem ut consueuerat, sed cogeretur uitatis urbibus in desertis locis uersari. Qui posset miraculis Euangelicis, non tam quærere numerosum theatrum quam ardens. In ciuitatibus multi affluebant, tantum ut oculos nouitate spectaculi palcerent. In deserta loca nemo sequitur Iesum nisi uehementi quodam illius desiderio flagret. Qui uero Christum amat per omnia sequitur quæ amat, per ignominiam, per famem, per dirceptiones facultatum, per exilia, per carceres, per cruciatum, per mortes.

CAPVT II.

A T iterum intrauit Capharnaū post dies, & auditum est quod in domo esset, & confestim conuenerunt multi, ita ut non caperent neque ad ianuam, & loquebatur eis uerbum.

Matth. 9. 14
Lucæ 9. 17



Domini Iesus formam nobis exhibens & fugiendæ gloriæ & perpetuo bene merendi de proximis, post dies aliquot quibus desertum illustrauerat, sententiâ suâ uera lux huius mundi, & celebrem reddiderat, repetijt Capernaum, unde multitudinis importunitate uidebatur propulsus, quæ nocturnis etiam horis fores domus in qua diuersabatur obsederat. Quemadmodum enim Bealeem cunis suis nobilitauit, Nazareth educatione celebrè fecit, Aegyptum sanguine glorificauit, Capernaum frequenti commoratione, atque inibi proditus subit de miraculis, uelut adoptauit in patriâ. Huc autem ueluti furtim reuertus est, ut non potest latere sol, ita non potest esse clam dominus Iesus. Rumor ut fit à paucis exortus, iam per omnem ciuitatem sparserat Iesum esse in ædibus. Nec mora, tanta uis hominum eò confluxit, ut non solum tota domus impleta, uerum nec uestibulum, eaque loca quæ sunt ostio uicina caperent multitudinem. Beata domus quam immigrauit Iesus, et à qua nunquam recedit. Dominus igitur docens nos ubique primam habendam esse rationem animorum, posteriores corporum, in primis impartiebat ei sermonem Euangelicum, quo sanantur animorum morbi. Proinde recte faciunt qui daturî mendicis elemosynâ, peris et ad

ei admoniciunculam aliquam impartunt, quæ reddat animos illorum meliores, mox stipem largiuntur. Nam uulgus hominum præpostero rerum iudicio uehementiori studio fertur ad ea quæ corpori conducunt, quàm quæ ad animi salutem pertinent. Dominus autem exemplo suo commonstrauit nobis, quæ potior est hominis pars, eius priorem oportere curam esse, prius docens, mox sanans agrotos.

Et uenerunt ferentes ad eum paralyticum, qui à quatuor portabatur. Et cum non possent offerre eum illi præ turba, nudauerunt tectum ubi erat, & patefacientes submiserunt grabatum in quo paralyticus iacebat.

Cum adhuc Iesus doceret, & animis curandis operam daret, adueniunt quidam adducetes secum paralyticum, totius corporis neruis ita morbo solutis, ut affixus lectulo à quatuor baiulis deportaretur. Habes simulachrum mentis terrenis cupiditatibus sic effœminatæ dissolutæq;, ut ad nulla pietatis officia sese possit erigere, sed humilibus ac sordidis curis affixa nihil sublime aut cœleste cogitat. Porro cum obstante conferta multitudine, quæ fores ac uestibulum obfederat, non possent eum deferre in conspectum Iesu, sarcinam suam sustulerunt in tectum, eo detractis tegulis patefacto, demissis funibus pensilem hominem unà cum lecto deposuerunt ad pedes Iesu, nihil addubitantes quin misericors dominus opitulaturus esset misero, simul atq; suis illis oculis conspicatus esset paralyticum, uiui cadaveris ritu solutis membris decumbentem in lecto. Vide rat & ante Iesus miserum, nec ignorabat fiduciam eorum qui hominem adduxerant. Poterat non interrupto sermone, per quemlibet illis denunciare, Surgat ille paralyticus, ac subito sanus lectulum suum domum reportet: uerum oculis omnium exhibere uoluit miserabile spectaculum, simulq; declarare, quantum uim habeat apud deum sincera in ipsum fiducia. Morbus erat insanabilis, iamq; inueteratus, aditus importunus, & tamen certam spem illis porrigebat domini bonitas, cum pari potentia coniuncta. De nudatione tecti nemo miretur nostratum, quandoquidem tecta illic domorum eatenus plana sunt, ut deambulatoria habeantur hominibus, ut patet ex lege Mosis. Tegulæ autem lapideæ sunt, & asserum instar quæ leuantur ad descensum in domum minime altum supremum domus, & aream, solumq; terræ. Quo huius demissionis sturdius & possibilitas certius dignoscatur. De hac domuum constitutione Lyranus dicit Matth. 10. Quod in aure auditis, prædicate super tecta, hoc est in hominum frequentia.

Cum autem uidisset Iesus fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimitte tibi peccata tua. Erant autem illic quidam de scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis: Quid hic sic loquitur? blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus deus?

Dominus Iesus perspecta illorum insigni fiducia, tanto magis est misertus hominis, quanto magis uidit illum grauius animo labore quàm corpore. Nesciunt non miserandus uidebatur, qui careret omnium membrorum usu, sed longe miserabilior erat animus uitij obnoxius. Nihil expectabatur, nisi ut corporis integritas restitueretur misero, quod ipsum erat humanis uiribus maius. At

Iesus delectatus tam insigni fiducia, totum hominem sanare uolens, uersus ad paralyticum, Fili, inquit, remittuntur tibi peccata. Erant autem in eo confessor scribæ quidam, quos eruditio sacrarum literarum nihilo reddebat meliores, sed potius ad calumniam propensiores. Ex prophetarum et Mosis libris didicerat, solius esse dei condonare peccata. Sacerdos enim non remittebat peccata, sed intercessorem agebat apud deum pro peccatis alienis mediantibus sacramentalibus signis à deo ordinatis Christi mysterium præsignantibus, non sine uicima. Id quæ non ignorarent scribæ, sic tacite cogitabant in cordibus suis, quam hic nouam uocem profert, quam nec Moses, nec Aaron, neque quisquam uerorum prophetarum ausus est proloqui, Remittuntur tibi peccata: Nimirum iste sibi uendicans auctoritatem diuinam, contumeliosus est in deum. Quædam peccata lex iubet puniri morte, quædam holocaustis, alijsq; sacrificijs expiantur, sacerdotis interuentu. Hic nihil moratus huiusmodi ritus, semel omnium criminum summam uerbo condonat. Non est hominis quod sibi sumit, solus deus potest præstare quod hic pollicetur. Nimirum offendeat illos imbecillitas humani corporis, quod uidebant, eorq; nihil supra hominem de Iesu poterant suspicari. Neq; uero de eo magnificentius sentiebat populus, cui tamen hoc adferebat simplicitas, ut minus esset ad calumniandum propensus. Offenditur autem Christi uerbis, propter peccata fuisse hominem morbo percussum, ideo non posse sanari, nisi prius his dimissis. Quinq; autem de causis afficitur homines molestijs carnis: aut propter merita augenda, ut Iob & martyres: aut propter humilitatem conseruandam, ut Paulus collaphisatus: aut ob peccata intelligenda, ut Maria soror Mosis, & hic paralyticus: aut ad gloriam dei, sicut cæcus, de quo Ioan. 9. dicitur, Neq; hic peccauit neq; parentes eius &c. & Lazarus cuius infirmitas non fuit ad mortem, sed pro gloria dei: aut ad initium damnationis æternæ, ut Herodes.

B Quo statim cognito Iesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dixit illis: Quid ista cogitatis in cordibus uestris? Quid est facilius, dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge, tolle grabatum tuum & ambula?

Dominus Iesus qui suam diuinitatem factis testari maluit quam oratione prædicare, ut ostenderet scribis nihil esse tam abditum in cordibus hominum, quamlibet astutorum, quod ipsius fugeret spiritum omnia scrutantem, & omnia perspicientem. Uersus ad eos, perinde quasi prolocuti fuissent, quod animo cogitarent, ait illis: Cur istas cogitationes calumniosas uersatis in animis uestris? Cur ex huius corporis infirmitate me iudicatis potius q̄ ex factis ipsis, quin potius ex his quæ cernitis oculis, quæq; non potestis inficiari, ea colligatis esse uera quæ non possunt oculis cerni? Offendit uos hæc uox, Remittuntur tibi peccata, & putatis irritam, quia non uidetis efficaciam, qua sese exercit in animo. Vos autem cum habeatis oculos corporis sanos, metis oculos habetis uitiatos. Quid si depromam huic similem uocem, cuius efficacia se probet oculis uestris, an nõ æquum est, ut ex eo quod cernitis, credatis etiam ipsum quod non cernitis? Nihil est apud homines facilius, quam dicere, difficillimum autem præstare quod dixeris: apud deum autem eadem est facilitas, & dicentem illi adempta facultas dandi cui uelit. Et per prophetas olim pollicitus est se futurum Messiam suum, qui auferret morbos populi sui Israelitici, & peccata ab eis

leret. Itaq; nolite spectare hoc corpusculum, hoc uestris corporibus simile, neq; uestem hanc, nullis phylacterijs aut fimbrijs pictis insignem, neq; uocem hanc, à cæterorum hominum uoce nihil dissonantem. Ex re sumite iudiciũ, Cuius in promptu est dicere peccatis obnoxio, Condonantur tibi peccata, atq; æque procliuẽ est dicere paralytico morbo obstricto, Surge, tolle lectulum tuum, & ambula. Audistis unam uocem & calumniãmini, audite nunc alteram, quam calumniari non poteritis, ubi uideritis palam rem dicto esse comitẽ. Id faciam, nõ ut iactem potestatem meam, sed ut intelligatis filio hominis, qui uobis nunc similis uidetur & imbecillis, à deo traditam esse potestatem, uerbo remittendi peccata, quam uestri sacerdotes nunquam habuerũt: idq; non solum in Iudæa, sed in terris etiam omnibus, ut quicquid ille remiserit in terris, remissum sit in cœlis: quicquid nõ relaxauerit in terris, idem maneat astrictum in cœlis. Non est quod calumniemini, sed est quod uobis gratulemini, si deus suam erga uos benignitatem auxit. Si dicitis hoc non posse deum, maiestatem illius læditis: si non uelle, bonitatem offenditis: si non facere, quum pollicitus sit, mendacem facitis: si in his quæ sunt animi, non creditis, cum in his quæ palam cernitis oculis corporis tergiuersari non possitis, peruersam & obstinatam uestram malitiam declaratis. Huiusmodi locutus Iesus, atq; illis attentis, quid esset factururus, uersus ad paralyticum, ait: Tibi dico, surge, tolle grabatum tuum & abi in domum tuam. Ac uix æditum sermonem manifesta præsentanea q; uis consequuta est. Nõ enim paralyticus paulatim ac tandem agre q; coepit sese mouere, sed ad Iesu uocem alacer subito erexit se, quasi nõquam sensisset ullam paralysim: ac sublato in humeros lectulo per confertam hominum multitudinem egressus est, nouum & antehac inuisum omnibus spectaculum exhibens, ut qui pauilo ante uelut exanime quoddam cadauer à quatuor bauiis affixus lecto deportabatur, nunc gestiens & alacer, tantæ etiam sarcinæ gestandæ solus sufficeret. Datus est locus exeunti, qui negatus est aduenienti. Sic enim expediebat uerumq; ut uenienti obsistens turba, fiducia magnitudinẽ omnibus faceret manifestam, & datus per mediam multitudinem exeunti locus, miraculi spectaculum omnium oculis subiiceret. Hoc est ergo quod consequenter dicitur:

Ut autem sciatis, quia potestatem habet filius hominis in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, surge, tolle grabatum tuum, & uade in domũ tuã. Et statim surrexit ille, & sublato grabato abiit inde corã omnibus, ita ut mirarentur omnes, et honorificarẽt deum, dicẽtes: Quia nunquam sic uidimus.

Viderunt igitur hæc scribæ, ac non solum correcti non sunt, uerum etiam magis incanduit illorum inuidentiã. Cæteri uero quoquoq; aderant, insolito miraculo stupefacti, glorificauerunt deum, qui talem potestatem dedisset homini, ut simplici uerbo & peccata condonaret, & morbum insanabilem adimeret. In genere confitentes, inter omnia quæ narrarentur à sanctis superioribus peracta, aut quæ suo sæculo uidissent à sanctis uiris fieri, nihil huic facto simile extitisse. Populus simplex & illiteratus, nihil dijudicans in Christo, quem credebatur esse hominem, tantum admiratur uirtutem diuinam, soli scribæ taciti apud sese murmurant. Fugiamus exemplum scribarum, qui dum suæ student gloriæ, Iesu gloriam conantur obscurare. Simus è simplici turba glorificantes deũ, non solum si quando nobis sua clemẽtia adimit morbos animi, uerum etiam quum alios uidemus eiusdem benignitate à pristinis uitijs resipiscere.

Matth. 9. 4
Luce. 5. f

Et egressus est rursus ad mare, omnisque turba ueniebat ad eum, & docebat eos.

Tam insigni miraculo gesto in Capernaum, quo pluribus prodesse, rursus commutauit locum, ac sese contulit ad lacum. Non se subduxit hominum salutari, sed fugiens insanabiles scribas, piorum hominum desiderium abitu suo prouocauit. Siquidem ad lacum quoque magna uis hominum confluxerat. Docens nos omnibus relictis Iesum esse sequendum, quocumque se contulerit. Nusquam enim non seruator est, siue urbes incolat, siue uicos & oppida peragret, siue uertetur in desertis, siue conscendat montes, siue descendat in campestria, siue lacus adeat. Videns itaque numerosam hominum multitudinem confluxisse, nec ignarus quam ob rem concurrisset, docebat illos in littore; non sine fructu accurrisse uolebat. Turbas fugerat ad mare egressus, sed turba iterum accurrit: ut si tu illam sequeris, illa te fugiet.

Et cum praeteriret, uidit Leui Alphaei sedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Et surgens secutus est eum.

Quum faceret dominus iter in littore, praeteribat telonium quoddam, in quo sedere solent qui a praeternauigantibus uectigal exigunt. In eo uidit Matthaeum quendam, qui idem dictus est Leui, Alphaei filium, sedentem ad telonium: erat enim publicanus. Id hominum genus quanquam ubique populo est inuisum, tamen apud Iudaeos peculiariter habebatur abominabile. Redimunt enim iniqua summa munus a principe, eoque ferè quo plus lucri faciant inclementer extorquent ab omnibus, odioseque negotium facessunt nautis & uiatoribus, quibus nonnunquam & aliunde satis est incommodi. Erant autem apud Iudaeos plurimi, qui negabant Iudaeos, populum deo sacrum, pendere tributum optertere Caesari prophano principi & idolorum cultori. Hinc factum est, ut publicanos, qui Caesaris negotium ad quaestum usurarium agebant, uehementer execrarentur. Dominus autem qui prius exprobrauerat scribis suam incredulitatem, obmurmurantibus miraculo, quum turba simplex deum glorificaret, rursus ostendere uoluit nullos longius abesse a uera religione, quam qui illi uidebantur eximie religiosi. Matthaeum auocat e telonio, iussitque ut ipsum comitaretur. Ille subito mutatus, relicta sella quaestuarium, sequutus est pauperem leuitum, ut Euangelicis opibus ditesceret. Hoc factum non omnes perinde mirabantur, tamen erat multo prodigiosius eo quod paulo ante demirati fuerant in sanato paralytico. Nam illud mihi cogita, quanta paralyti labore, cuius animus affixus est studio pecuniae: nec obscurum est, quam sint perplexa publicanorum rationes. Et tamen hic subito factus alius, mirabilius exiit a telonio suo, & omnibus relictis sequutus est Iesum, quam paralyticus ille exiliens a grabato suo, domum abiit. Pharisaeus audit Iesum multa differentem, miracula autem uiderat, simplici dicto Iesu obtemperat. Vulgatum huius nomen Marcus & Lucius non ponunt. Ipse uero Matthaeum se publicanum nominat, ut ostendat uelut illum conuersum debere de salute diffidere, cum apostolus & Euangelista repente factus sit ex publicano. Reliquit autem non solum lucra uectigalium, sed etiam periculum, quod propter imperactas rationes accidere poterat a principibus saeculi, contemnit, cupidus Christum sequendi. Qui enim exterius uocatus

ut mox sequeretur, is intus accendit & modum docuit.

Et

Et factum est cum accumberet in domo illius, multi publicani et peccatores simul discumbabant cum Iesu & discipulis eius; erant enim multi qui & sequebantur eum.

Ecce rursus datur occasio, qua magis illustraretur & pharisæorum iniquitas & Iesu benignitas. Matthæus enim iam certus Iesu discipulus, quo plurimis illum commendaret, suiç ordinis nuper sodales ad quæstum Euangelicum adduceret, rogare dominum ausus est, ut domi ipsius uellet esse conuiuia. Obtemperauit Iesus roganti, quandoquidem ille obtemperauerat uocanti. Matthæus rem magnam impetrasse se ratus, apparat conuiuium splendidum ac magnificum, quod multis esset suffecturum, uidelicet discipulis, quos iam aliquot collegerat dominus, ac præter hos non paucis alijs, qui tum Iesum comitabantur, & ad conuiuium eunti umbræ, ut dicitur, fuerunt, multisç publicanis ac peccatoribus, etiam quos ob pristinam notitiam ac familiaritatem eodem uocauerat. Matthæus non erubescens, quales aliquando sodales habuisset, qui tantum ad aliud sodalitiu transisset: sperabat enim fore, ut quemadmodum ipse uocatus fuisset à domino, itidem & plures quos habuerat infamis quæstus & uitiorum socios, Euangelicæ philosophiæ, quæ largitur opes cœlestes, haberet condiscipulos. Hanc spem illi præbebat perspecta Iesu singularis in omnes cleme[n]tia. Decebat autem amplum esse conuiuium, quod ecclesiæ ex gentibus colligenda gerebat imaginem. Parca sunt enim & angusta Iudæorum conuiuia, qui carnem legis sequuntur, quum spiritus sese latissime diffundat, omneç hominum genus recipiat. Libertatem amant omnes, clementia opus est omnibus, iustitia paucorum est, hanc cum non haberent, sibi uindicabant pharisæi.

Et scribæ & pharisæi uidentes, quia manducaret cum publicanis & peccatoribus, dixerunt discipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat et bibit magister uester?

Quum conspicarentur pharisæi Iesum cum publicanis & peccatoribus a se magis conuiuium, quos ipsi ueluti sancti nec alloquio dignarentur, adeunt illius discipulos, rudes adhuc, & qui facile uiderentur abduci posse à præceptore. Hos captant ueneno susurro. Quamobrem, inquiunt, magister uester, quem uos deserto Ioanne ut sanctiorem sequimini, cum peccatoribus edit & bibit, quum mensæ communio summum sit familiaritatis indicium? An non legit quod scriptum est: Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris? An non cogitat quod hac consuetudine addit animos peccatoribus, qui uitati fortasse respicerent?

Hoc audito Iesus ait illis: Non necesse habent sani medico, sed qui male habent; non enim ueni uocare iustos, sed peccatores. 1. Timoth. 2. 6

Cum discipulis adhuc rudibus non esset in promptu quod responderent, sed tantum simplici fiducia pendebant à domino, Iesus quem nec uoces clanculariæ nec cogitationes occultæ pharisæorum latebant, pro discipulis respondit: Quid obmurmuratis pharisæi, quod cū his quos uos pro impijs & abominandis ducitis agitem conuiuia, potius quàm cum sacerdotibus, scribis, & pharisæis? Laudantur medici, qui sani quum uocantur adeunt ægrotos, & ego culpor quod eos adeam qui morbum agnoscunt animi sui, & medicum desiderant? Qui prospera uale tudine sunt non expostulant cum medico, dicentes: Cur inuisis illos & illos, nos non inuisis? Etenim qui ualent, nihil opus habent medico: at medicorum ars his debet esse parata, qui male habent. Hi qui morbum suum

agnoscunt, gaudent adesse medicū. Vidistis enim in paralytico mihi traditam esse potestatem tollendi peccata. Vos qui uobis uidemini sani, uendicantes uobis iustitiam, non habetis quod expostuletis cum medico, si uos nō adeat. Ideo missus sum in mundum, ut tollam peccata mundi. Quicumq; morbum agnoscit, & medici desyderat opem, huic non deero. Porro qui sibi uidetur uacare culpa, si recte sentit, non eget ope nostra: sin laborat falsa persuasionē, aut si sibi male cōsciū, tamen dissimulat morbum suum, hunc quoniam insanabilis est, frustra adiret medicus: quis enim curet inuitum? Proinde iniuria reprehenditur medicus, si id facit quod profiteer ars. Sed insignis est inhumanitas eorum qui cum sani sint, medici præsentiā inuident agrotis. Nec hoc quod facio uobis qui legis scientiam profitemini, nouum uideri debet. Sic enim legitis: *Miseriam diā uolo potius quā sacrificium.* Hec deus per prophetam locutus est, significans abolendam carnalem legis iustitiā, quæ constat abstinentia mansuetudinū flagitiorum, & obseruatione ceremoniarum. Qui non committit homicidium, qui non furatur, qui non mœchatur, qui quiescit sabbatis, qui ieiunat statis diebus, qui lauat, qui sacrificat, iustus est apud homines. At deus aliam iustitiam requirit, quæ constet gratuita beneficentia in proximum, ignoscencia ac lenitate. Quantum uero absunt ab hac laude, qui non solum non opitulantur proximo suo, uerumetiam inuident & obstrepunt, si quis opem ferat egenis: Talem autem uobis deus promisit Messiam, non qui sacrificijs, phylactibus, ieiunijs, & prolixis precationibus superaret pharisæos, his rebus se ferat populo uenditantes, sed qui beneficus in omnes, lux esset errantibus, subleuaret oppressis, consolator afflictis, medicus cōtritis corde: quiq; eos qui longe uidebantur abesse à deo, deo iungeret: qui uero deo uidebantur esse proximi, hos declararet procul abesse à uera pietate. Hoc sermone dominus Iesus simul & pharisæos obturauit pharisæis, & discipulos docuit, quales sese præstare deberent erga peccatores. Multum debemus pharisæorum malitiæ, quæ subinde dominum prouocat ad explicandam Euangelicam doctrinam.

Matthæi 9, b
Luca 5, f, g

Et erant discipuli Ioannis & pharisæorum ieiunantes, & ueniunt, et dicunt illi: *Quare discipuli Ioannis & Pharisæorum ieiunant, tui autem discipuli non ieiunant?*

Adeunt rursus Iesum aliquot discipuli Ioannis, iuncti calūniatoribus pharisæis: nam et illos liuor quidā humanus arripuerat, quod Iesus Ioannis famam uideretur obscurare, quum Ioannis uita & institutio uideretur esse superior Iesu, qui discipulorum etiā numero fuerat superior. Adeunt itaq; Iesum, & calumniosam obijciunt quæstionem. Quare, inquiunt, discipuli Ioannis & pharisæorum ieiunant frequenter, tui uero discipuli non ieiunant? Ad hanc quæstionem, quoniam ipsum petebant non discipulos, dominus Iesus clementius respondit, quā paulò ante fecerat discipulis suis patrocians, nos interim diligentem esse in propellendis malis alienis. Oportet enim episcopum Euangelicum in iniurijs ipsius capiti ingestis, tolerantem ac lenem esse, cæterum magno studio succurrere gregi periclitanti, quod hic agit dominus.

D Et ait illis Iesus: Nunquid possunt filij nuptiarum quandiu sponsum est cum illis ieiunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt ieiunare. Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsum, & tunc ieiunabunt in illis diebus.

Vos

Vos qui sedulo audistis Ioannem Baptistā, meminisse debetis quod ille me prædicarit esse sponsum, se uero sponsi amicum. Par est autem abesse tristitiam omnem, ubi adest sponus. Moses seruus est, non sponus. Illi congruebant ieiunia, quæ tristitiam habent & hilaritatem obnubilant. Recte ieiunāt qui manent in sinagoga, ancilla non sponsa: non enim uersantur in cubiculo sponsi. Cæteri liberi qui uersantur in thalamo nuptiali, quamdiu sponsum ipsum habent presentem, non possunt ieiunare, quod gaudij magnitudo non sinat eos. Qui metu pœnæ suum facit officium, alacer esse non potest. Porro filij qui spiritum liberalem hauserunt, intelligentes se charos & curæ esse sponso, nō anguntur sollicitudine ne peccent in his quæ ad tempus præscripta sunt ingenio seruili præditis, in lotionibus, in sabbatimsis, in delectu ciborum, in uestitu, in diebus festis, in sacrificijs. Confidunt enim potentia & bonitati spōsi, qui sine his omnibus potest absolutam conferre iustitiam. Fiducia spiritualis tollit sollicitudinem carnalem. Charitas omnia condulcans addit alacritatem. Habet sponus cibum suum, à quo sodales ipsius non possunt abstinere. Cibus animæ est sermo cœlestis, cibus animi caro est Christi spōsi, crucifixa pro peccatis mundi, & potus animi sanguis est crucifixi, eo sanè modo quo cibus competere potest suo cibato, nempe fidei contemplatione, & mysteriorum Christi domini seruienti meditatione firmaq; fiducia. Hoc cibo semper satiari cupiunt, qui mihi propius fide & amore adherent. Hoc potu cupiunt semper inebriari, qui uersantur in thalamo sponsi. Cæterum ut cibus corporis non conturbat iustitiam, ita nec ieiunium: ac sæpe fit, ut uescens iustior sit ieiunante. Tristitia sunt ieiunia quæ lex præscribit, & ob hoc deo ingrata, qui diligit hilarem datorem. Hilaris autem esse non potest qui metuit, qui trepidat. Cæterum qui sciens sese in hisce rebus esse liberum, & ex charitate sua sponte ieiunat, is lætus & alacer ieiunat, non quia sic præscriptum est, sed quia sic hortatur charitas. Quum ad hanc firmitatem ad quam nunc formantur mei discipuli profecerint, plus impetrabit ab eis charitas, quam nunc extorquet à uobis legis aut Iohannis traditio uel præscriptio. Nondum autē ad hoc roboris peruenerunt: ad hæc tenentur: obstat enim illis huius corporis præsentia. Venient autem discipuli, quum corporalis sponsi præsentia tollatur ab illis, tunc facti firmiores, haustura coelitus spiritu, non solum ieiunabunt, idēq; sua sponte, uerumetiam fortiora magisq; præstabunt uolentes & alacres.

Nemo assumentum panni rudis assuit uestimento ueteri: alioqui aufert supplementum nouū à ueteri, & maior scissura fit. Et nemo mittit uinum nouum in utres ueteres, alioqui dirumpet uinum utres, & uinum effundetur, & utres peribunt: sed uinum nouum in utres novos mitti debet.

Hæc mea doctrina quoniam spiritualis est, non capitur ab his qui pharisæicis ceremonijs inueterauerint, & idcirco mihi simplices & rudes delegi iuuenes. Lufurus operam si spirituales ac cœlestem doctrinam credam animis carnalium rerum superstitione uehemēter occupatis. Vetera ueteribus noua nouis congruunt: quæ si misceas, non solum inanem sumis operam, uerumetiam eos quos in melius mutare coneris reddis deteriores. Præstat enim in ueteri superstitione perseverare, quam adempto metu peccandi, dum ad libertatem spiritus studes adducere, ad peccandi licentiam inuitare. Quemadmodum enim plus habet negotij, qui docet imbutum hac falsa persuasionē, quod artem cal-

leat, quam qui prorsus artis ignarum; ita difficillimum est eos ad Euangelicam iustitiam instituere, qui ob carnales obseruationunculas sibi persuaferunt quod absolutam iustitiam sint consequuti. Hinc nimirum est, quod piscatores, publicanos, peccatores, meretrices, & ethnicos magis cōperio philosophiæ spiritualis, quam scribas, pharisæos, ac sacerdotes, qui in humanis ceremonijs & traditionibus perfectā statuunt pietatem. Ioannes ut medijs inter ueterem ac nouam legem tentauit miscere doctrinæ geminum genus. Neq; enim ausus est uiuidam hanc philosophiam infirmis animis committere. Infirmum est autem quicquid humanum, quicquid carnale est: quod diuinū, spirituale, & celeste, id uiuidum est ac ualidum. Proinde meis discipulis, quos in hoc delegi uoles, ut eos ad hanc masculam ac robustam philosophiā instituam, nihil istarum rerum præscribo: His uescere, ab his abstinere, nunc quiesce, nunc labora, sic uescere, hoc ne contingas, illud ne contractes, ne semper maneant imbecilles, & cetera præceptorē semel didicerint huiusmodi rebus corporalibus fidere. Inutilis est mixtura rerum sibi non congruentium. Nullus enim sic desipit, ut si uescem ueterem sarcire cupiat, assuat fragmentum panni noui. Cur ita? Nempe quia uidet futurum, ut si id faciat, & noui panni iacturam faciat, & uetustæ uestis partem reddat maiorem. Siquidem offensus insigni dissimilitudine panni assuti, & uestis male sarcitæ continuo detrahit quod assuerat. Itaq; ruptura uestis antea quæ turpius hiat quam antea. Neq; quisq; tam stultus est, ut uinum nouum credat utribus antiquis. Quamobrem? Quia uidet fore duplicem iacturam. Nam mustum ob uehementiam spirituum efferuescens dirumpit utres ob uehementiam imbecilles, itaq; simul pereunt & utres & uinum. Quid porro facit ut & uinum non consulat & utribus? Vinum mustum condit in utres novos. Ita quorum amentis & spiritualis doctrinæ, sed abhorrent & auersantur, ac deterioris uini gustum cui assueuerunt requirunt.

Matth. 12. d
Luce 6. d

Et factum est iterum, cum sabbatis ambularet per sata, & discipuli eius cœperunt prægredi & uellere spicas. Pharisei autem dicebant ei: Ecce, quid faciunt discipuli tui sabbatis quod non licet?

Accidit altera uice die quodam, ut discipuli facerent iter per segetem, id est die sabbati, quo religiosum erat Iudæis aliquid operis agere: præibant autem discipuli, Iesus uero sequebatur. Quum autem stimularet eos famas, cœperunt uellere spicas, manuumq; confictu exclusis granis uesci. Audi nunc ueteres utres, zelatores humanarum traditionū, offensos nouo musto libertatis Euangelicæ, ac sabbatismi uappam requirētes. Siquidem pharisæi qui ceu uehementer iusti comitabantur Iesum, conspicientes quod faciebant discipuli, dominum in discipulis calumniabantur. Nam quemadmodum discipulorum probitas commendat præceptorem, ita malefacta solent his imputari qui instituerunt. Admonent igitur dominum, & iudicant discipulos, perinde quasi rem neptariam agentes, quod uiolarent sabbatum, ut aut illos coerceret, & comprobaret pharisæicam superstitionem, aut si id non faceret, haberent de quo ipsi calumniam struerent. Dominus autē sic patrocinnatus est suis discipulis, ut legis Moysæ peritos ex ipsa lege refelleret, pro sua mansuetudine docēs, qui reprehendi merebantur.

1. Reg. 21. b

Et ait illis: Nunquam legistis quid fecerit Dauid, quando necessitatem habuit, & esurijt ipse et qui cum eo erant: quomodo intrauit in domum

num dei sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis manducauit, quos non licebat manducare nisi sacerdotibus, et dedit eis qui cum eo erant.

Qua fronte, inquit Christus, desertis meos discipulos, quod coacti fame spicas aliquas obuias decerpunt, quo uitae suae consulant, quum ipsa lex, cuius uos esse doctores profiteremini, commemoret, Dauid in simili necessitate deprehensum fecisse quiddam, in quo magis etiam uidetur uiolata religio. Siquidem Abiathar qui tum primas tenebat inter sacerdotes, postulare sibi dari panes illos uniter sacros, quos propositionis uocant, quibus nephas erat omnibus uesci praeter sacerdotem, id est tantisper, dum intra templi septa uersantes sacris operarentur. Non ignorabat Abiathar uel pater eius Ahimelech, quid lex praescripisset, nec tamen ueritus est Dauidi ac eius comitibus tradere panes sacros in loco sacro edendos. Hoc si nescitis esse scriptum, aut si non meministis, qua fronte praesertimini legis scientiam? Si scitis ac meministis, cur in simili causa Abiathar ac Dauid absoluitis, atque etiam probatis, meos ut nepharij sceleris reos desertis? Si nunc necessitati proximi cessit legis rigor, quum maxime regnaret lex, quomodo subueniendum esse? Quin & illud praecipit lex, diligendum esse proximum pari amore quo se quisque complectitur. Hoc praecipit quum sit in tota lege praecipuum ac maximum, cur praepostero iudicio ob ea quae leuiora sunt, nec perpetua, uiolatis id quod & summum est & perpetuum? Fuit olim tempus & populus in quo nulla fuit sabbati religio. Et futurum est, ut uere prius quiuis diues sit aequae sacer. Nunquam autem nec fuit nec erit tempus, quo non fuerit aut futurum sit sanctum, opem ferre egentis proximo. Lex uetat occidi, occidit autem qui eum seruare possit non succurrit. Ea perpetua lex est. Vetat eadem qui eum sabbato, quam uero praepostera religio, si quis dum timet uiolare sabbatum, sinat interire fratrem suum, quum asinum delapsum in foueam educat sabbato, nihil deterritus septimi & quietis diei religione?

Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum. Itaque dominus est filius hominis, etiam sabbati.

His dilucidis rationibus quum Iesus docuisset quam essent peruerse religionis, adiecit catholicam sententiam. Sabbatum, inquit, hominum causa est institutum, non homines conditi sunt propter sabbatum. Filius autem hominis uenit non ut perderet homines, sed ut seruaret. Itaque potestatem habet etiam abrogandi diem hunc sabbati, quoties id postulat hominum salus. Quod de sabbato dixi, de similibus constitutionibus omnibus sentiendum est. Ad tempus instituta sunt, ut rebellis populus paulatim asuesceret obedire praecipis dei, ut per figuras corporales ueluti manu ducerentur ad intellectum rerum spiritualium. Pie uiolat sabbatum, qui uacuuus a tumultu malarum cupiditatum, iuuandi proximi studio uiolat sabbatum. Pia res est ieiunium, sed fit impia, si quod ad salutem hominis est institutum, uertitur in perniciem & corporis & animi. Res est religiosa uotum, sed fit irreligiosa, quoties huius seruandi superstitione reuocatur aliquis ab his quae propius spectant ad ueram pietatem. Sancte facit qui donum offert ad altare, sed prophanum est donum quod offertur irreconciliato proximo. Ita recte negligitur color aut forma uestis, quoties id commodum est homini. Neque enim homo uestis causa factus est, sed hominis gratia reperta ue-

stis. Itidem cibus hominis causa paratur, nō homo cibi causa conditus est. Proinde quouis cibi genere uesci fas est, quoties id postulat hominis necessitas. Sic quidem hæc omnia corporalia, in quibus uos absolutam iustitiam cōstituisse templum, uictimæ, cibus, uestis, dies festi, ieiunia, uota, donaria, irreligiose seruantur, si ob id læditur uel impeditur salus proximi; religiose autem seruantur, si ob proximi charitatē, neglectis his quæ sunt carnalia, intus in animo seruatur id quod corporalium rerum umbris est designatū. Huiusmodi constitutionum Moses administrator fuit non author, seruus non dominus. Huic qui adhærent animo seruili magna superstitione seruant ea quæ sunt carnis. Cæterum qui adhærent filio hominis, qui totius legis est dominus, eaq̄ docet obseruanda iuxta spiritum quæ carnalibus illis simulachris figurabantur, liberi sunt ab eiusmodi ceremonijs.

CAPVT III.

Matthæi 12. 14
Luce 6. 6

A



T introiuit iterum in synagogam, & erat ibi homo habēs manum aridam. Et obseruabant eum si sabbatis curaret, ut accuserent illum.

Et in agro quidem per uiam dominus Iesus huiusmodi sermonibus phariseorum retudit calumniam, et discipulis innocentibus est patrocinitus. Sed ut planè disceremus nihil esse calumniosius falsa religionis persuasionem, quum Iesus ingressus esset synagogam, illic ex more docturus populum, obtulit se rursus & domino benefaciendi & pharisæis calumniandi occasio. Aderat enim illic in turba quidam, miserum omnibus spectaculum exhibēs, manum habens arefactam et mancam, membrum mortuum et inutile circumferens, hoc etiam miserabilior, quod opera manuum solitus esset alere tum sese tum familiam tenuem & inopem. Et o malitiam pharisæorum oculatam ad calumniandum te nefacta Christi, cæcam ad intelligendum doctrinam cœlestem. Ex his quæ cernebant oculis corporeis, uidebant humanam naturam, ex his quæ gerebantur non perspiciebant uirtutem diuinam. Vident hominem miserabilem, & nouerunt Iesum misericordem, & ilico coniectant quid esse consequuturum. Iamq̄ calumniam adornant non in discipulos, quemadmodum prius de spicis reuulsis, sed ipsi domino qui discipulis fuerat patrocinitus. Obseruāt igitur natura pensum ad opitulandum miseris, an auderet etiam synagoga teste die sabbati sanare hominem, ut si id faceret, accusarent eum uiolati sabbati, quum facti testem haberēt multitudinem. Nihil quidem orabat miser ille, uerum hoc sabbati erat orare miserabili, uenire in conspectum misericordis domini Iesu.

Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium. Et dicit eis: Licet sabbatis benefacere, an male? animam saluam facere, an perdere? At illi tacebant.

Dominus quo redderet omnes attentos egendo spectaculo, euocauit hominem cui manus erat manca. Surge, inquit, & consiste in medio multitudinis. Surrexit ille bona quadam concepta spe. Tum Iesus uersus ad pharisæos, quorum cogitationes non ignorabat, dixit illis: Quid censetis uos qui legis cognitionem profiterimini? quibus rebus uiolatur sabbatum: benefaciendo an malefaciendo: seruando uitam hominis an perdendo? Non fallebat illos quò tenderet hæc cornuta percontatio. Si respondissent, satius esse ob religionem sabbati perire proximum, quàm neglecta superstitione succurrere periclitanti proximo.

tulisset populus absurdum responsum, et à sensu communi naturæ abhorrens. Sin respondissent licere, sibi admissent ius calumniandi. Itaq; uisum est obtice scere, et tamen interim produnt multitudinì malitiosam uersutiam suam, quod prouocati interrogatione ad resipiscentiam, obstinate persisterent in studio calumniandi. Porrò quo facilius esset respòsio, pposuit à simili quæstionē, Num quis inter illos esset tam religiosus obseruator sabbati, ut ouem sabbato delapsam in foueā perire sineret aut auderet educere? Nullus autem erat in ea turba qui non intelligeret quanto sit hominis salus magis curanda quàm ouis. Occidit autem quisquis perire sinit quod seruare potest.

Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitatē cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, et restituta est manus illi.

Quum expectato responso dominus uideret omnes pharisæos non ignorantia ueri, sed obstinata malitia ueluti coniuatos obmutescere, circumtulit oculos in illos, ipso uultu præ se ferens quanta cum ira quantoq; dolore ferret illorum insanabilem malitiam, qui cum sese profiterentur duces cæcorum, ipsi cor haberent terrenis cupiditatibus excæcatos, ut clarissimam ueritatis lucem uolentes non cernerent. Nulla enim cæcitas immedicabilior, quàm quum quis cæcians & uolens cæcus est. Videbant mutam pecudem ne periret extrahi posse & uolens non uiolato sabbato, & uidere nolebant homini licere sabbatis consuleri. Itaq; clementissimus dominus, quo nos doceret ob deploratam malorū peruersitatem non esse abstinendum à iuuandis proximis, contemptis pharisæis uertit sese ad hominem, ac populo ad rei euentum inhiante, dixit illi: Extende manum tuam. Vix ea uox audita est, extendit manum subito mutatam, nec aliter omnibus officijs fungentem quàm fecerat altera, quæ nunquam manca fuerat. Quem illæ rationes non abduxissent ab errore? quem tam euidentis miraculum non excitasset ad glorificandum deum? At pharisæi fermento inuidiæ insunt illa semper præpostera pharisæorum iudicia. Pluris faciunt pecudem quàm hominem, ueste quàm corpus, cibum quàm uitam, corpus quàm animum, humana quàm diuina, carnem quàm spiritum, homines quàm deum. Ad eò nihil est peruersa religione pestilentius. Apud homines prodigiosa uirtutis est, simplici dicto restituere manum mancam homini, sed multo maioris & uirtutis & beneficij est restituere mancas & præmortuas animi uires. Quàm misere mancam habet manum, quàm mortuā, quàm ab omni misericordiæ sensu uacuum, qui cum uidet proximum suum egentem, nec stipem porrigit, qui errantē non docet, qui oppressum non subleuat, qui cessantem non excitat. Tales erant pharisæi, qui maluerunt inuidere domino, quàm sanitati per eum restitui huiusmodi debiles. Cæterum ecclesia Christi neq; surdos, neq; mutos, neq; cæcos, neq; debiles, neq; claudos recipit. Quisquis est obnoxius malis ueniat in conspectū Iesu, & sanabitur. Afflabit ille nobis spiritum suum, & quod mancum erat animi suæ confidunt iustitiæ, ex alienis benefactis redduntur deteriores. Qui pharisæo spiritu tument, nulli bene uolunt, nisi sibiipsis. Qui Iesu spiritum hauserunt, nihil aliud conantur quàm omnibus benefacere.

Exeuntes autem pharisæi, statim cum Herodianis consilium faciēbant aduersus eum quomodo eum perderent.

Simul atq; pharisæi synagogam egressi sunt, tamen non audebant mutire apud populum, ascitis etiam Herodianis militibus uel fautoribus, quo firmiter esset conspiratio (nam nulli magis hanc nouerunt artem) clancularijs consilijs inter sese agitabant, quomodo Iesum extinguerent, quem, ut uidebant, potentibus factis longe superiorem, ita nec dictis refelli posse sentiebant. Non conueniebat inter pharisæos & Herodianos, & ad perdendum salutis authorem conueniebat. O sceleratam concordiam, o cæcitatem uere deplorandam. Quid proficient cuniculi fraudis humanæ aduersus eum quem nihil lateret Herodianos quidam putant dictos eos qui Herodem Ascalonitæ credebant fuisse Messiam, quia templum ædificasset, & gloriose regnasset in Ierusalem, cum alienigena esset, ideo dominum persequerentur. Alij Herodianos intelligunt milites Herodis, qui prioris filius regnabat in Galilæa, & Ioannem occidit. Similes autem similibus consentiebant ad malum, & quod soli non possunt improbi hoc sibi consentientium auxilio designare nituntur. Magna infamia, qui salute indigent, de nece saluatoris consiliantur, & quia ratione uincuntur mortem machinantur.

Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare, & multa turba à Galilæa & Iudæa secuta est eum, & ab Hierosolymis & ab Idumæa & trans Iordanem: & qui circa Tyrum & Sidonem multitudo magna audientes quæ faciebat, uenerunt ad eum.

Dominus nos exemplo suo docens nonnunquam ad tempus cedendi in medicabili malorum peruicaciæ, ne prouocati reddantur sceleratiores, subduxit sese ab eo loco, & rursus secessit ad lacum. Iesu secessus non est Euangelij dispendium sed incrementum. Nisi enim propulissent illum pharisæi, non uenisset ad gentium multitudinem. Posteaquam igitur Iesus reliquerat inuidam & angustiā synagogam, seseq; recepisset ad lacum, undiq; confluit ad eum numerosa uis hominum, non solum à Galilæa, uerumetiam à Iudæa, atq; ab ipsis etiam Hierosolymis, tum ab Idumæa quæ hic dicitur Australior pars Iudææ et Palæstina, & à regionibus ultra Iordanem sitis, duarum scilicet tribuum Machabæorum. Ad hæc è locis Tyro Sidoniq; finitimis. Præcluditur enim ad congregandam gentium ecclesiam, quando synagoga per incredulitatem repellerebat Euangelium dei. Ex omnibus his locis concurrerat ingens hominum multitudo, non solum Iudæorum, ut uideri potest, sed etiam gentilium, qui excitati rumore qui late sparsus erat de miranda doctrina, deq; potentibus factis Iesu, sese ad lacum effuderant. Dominus autem benignus & diues in omnes, neminem nec à doctrina sua, nec à sanitatis beneficio submouebat. Tantis autem erat ardor multitudinis ob auiditatem sanitatis, ut alius alium protuderet, ac ut irrumperet ad Iesum, ut eum uel contingerent, quando solo etiam uestis contactu pellebantur morbi.

B Et dixit Iesus discipulis suis, ut nauicula sibi deseruiret propter turbam, ne comprimerent eum: multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum ut illum tangerent quotquot habebant plagas. Et spiritus immundi cum illum uidebant, procidebant ei, & clamabant, dicentes: Tu es filius dei. Et uehementer comminabatur eis ne manifestarent illum.

Cum à turba dominus comprimeretur, mandauit discipulis ut sibi parare nauicula

nauiculam, quo tutus esset ab incondita & tumultuosa multitudine, quæ magis sitiebat corporum salutem quam animarum, & comprimit potius quam tangit Iesum. Nullum interim erat uel hominum uel morborum discrimen apud potentem iuxta ac benignum medicum. Quicumque quibuscumque malis tenebatur, protinus liberabantur, modo contigisset audire Iesum. Atque id etiam hodie uidemus iuxta spiritum fieri. Ex totius orbis nationibus quam multi quibusque uitij obnoxij confugiunt ad Iesum, & fiducia contactu sanantur? Quin & spiritus immundi uiso Iesu, non ferebant illius presentaneam uirtutem, sed accedentes ad genua illius, exclamabant dicentes: Tu es ille filius dei, nempe promissus mundo Messias, saluator & unctus, deus & homo. Iesus autem non fedans ab impijs spiritibus predicari, interminatur illis ut taceant, nec ipsum prodant ante tempus. Per humiles & tenues mundo uoluit innotescere, quibus dicit: Qui uos audit me audit. Spiritibus autem impijs ne tum quidem fidem haberi uult, quum uera dicunt. Nec enim hoc negotium fortuito gerebatur, sed diuino consilio gradibus quibusdam & profectibus temperabantur omnia ad nostram salutem. Proinde discipuli qui norant familiariter cum domino uersari, parant illi nauim purioris ecclesie. Iesus autem magis delectatur paucis puris ac placidis, quam multitudine turbulenta. Sed tamen ita subducit sese, ut nihilo secius e naui doceat multitudinem. Quum uides Iesum e nauicula docentem, cogita episcopum concionantem promiscuæ multitudini, quæ catechizantur, energumenos & Iudæos et ethnicos complectitur. Beati qui spiritualiter tangunt Christum credendo, & deuote amando. Non tangunt autem, nisi qui prius ab eo tacti fuerint. Sanantur enim ab omnibus uitij, quoscumque ille contigerit per suam gratiam, fide infusa iustificante. Iam enim ex tumultuosis facti tranquillissimi, recipientur in nauim ecclesie, ut perpetua Iesu consuetudine fruatur, semperque illius mensæ assideant. Nauicula in qua Iesus est angusta est impuris, amplissima purgatis.

Et ascendens in montem, uocauit ad se quos uoluit ipse, & uenerunt ad eum. Et fecit ut essent duodecim cum illo, & ut mitteret eos predicare. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, & eijciendi dæmonia.

Matth. 10. 4
Luca. 9. 10. 6

Reiecerat Christus predicationem dæmonum, effugerat impuram ac turbulentam turbam, & tamen hæc arguebant adesse regnum dei, in quod irumpere conabantur digni & indigni. Proinde sibi parat duces aliquot, qui in uindicando regno cælorum essent adiutores, quique tot nationibus mox ex toto orbe terrarum ad Euangelicam philosophiam confluxuris sufficerent. Sic enim consueuerunt huius mundi monarchæ, certos præfectos sibi deligere, per quos imperium suum & asserant & amplient, administrent & tueantur. Hos oportet egregie fidos esse, cordatos & industrios, in primis autem gnaros regie uoluntatis. Iesus itaque, qui sese frequenter demiserat ad promiscuam multitudinem, ut multos ad se alliceret, facto docens idem esse faciendum Euangelicis doctoribus, iam ad sublimitatem Euangelicæ perfectionis euocans conscendit montem. Et accersiuit ad se, non quosuis e multitudine, sed quos ipse uoluit, quosque ad hoc munus delegerat. Non enim uocauit opulentos, non satrapas, non sacerdotes, phariseos, aut scribas, sed tenues, humiles, & idiotas: siquidem hi demum erant idonei, qui Iesum sequuti montem conscenderent, unde quicquid hic mundus habet admirandum despicitur, unde uelut e propinquo uox auditur patris cælestis, & unde spectatur immortalitatis gloria. Parent qui uo-

cati sunt, & ueniunt ad Iesum sublimem. Nullus enim hunc montem potest conscendere nisi uocante Iesu. Nam ipse mons est, nec ad ipsum quisquam uenit nisi tractus ab eo. Hic rex ille regum & dominus dominantium duodecim præfectos selegit, qui ueluti fidi satellites, nunquam ab ipsius latere discederent, ut ubi res Euangelica postularer, mitteret eos, ueluti legatos à latere, prædicaturos, quæ à rege suo didicissent, ac diuulgaturos per uniuersum terrarum orbem edicta sui principis. Oraturus autem ascendit, dum uult ordinare apostolos, ut discamus, quod & nos quædo sumus ordinaturi episcopos ecclesiarum, prius orare debeamus, ut reuelentur qui digni sint, ne communicemus peccatis alienis. Dedit potestatem faciendi miracula, ut uirtus ostensa fidem uerbo daret, & noua facerent quæ noua prædicabant. Nunc autem numerus fidelium creuit, signa uirtutum non parent; frustra foris miraculum ostenditur, si deest qui intus operetur, quia linguæ in signum sunt, non fidelibus sed infidelibus.

Et imposuit Simoni nomen Petrus, & Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est, filij tonitruui; & Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Iacobum Alphæi, & Thaddæum, & Simonem Cananæum, & Iudam Iscariotem, qui & tradidit illum.

Quoniam ignobiles erant piscatores, idiotæ, tenues, nihil regale præ se ferentes, quum pollicerentur regnum dei, ne contemneretur eorum auctoritas, addidit potestatem, quam nulli huius mundi monarchæ suis legatis dare possunt, nimirum, ut in nomine Iesu omne morborum genus sanarent, utque etiam impuros spiritus profligarent. Horum primus erat Simon, cui nomen uerterat Cephas Syriacum, hoc est petram siue saxum, ut ex ipso nomine disceremus Euangelicæ philosophiæ caput esse fidei immobilem constantiam. Secundus Iacobus Zebedæi filius, unâ cum fratre suo Ioanne. His imposuerat nomina, ut dicerentur Boanerges, quod & ipsum Syris sonat filios tonitruui, uidelicet ipso nominis præfatio declarante, hos olim ex Euangelico monte emissuros in uniuersum terrarum orbem Euangelicæ prædicationis tonitruum, quod omnium animos commoueret, & erigeret ad studium rerum cœlestium. Siquidem ut tonitru sonat è sublimi, ita prædicator Euangelicus nihil humile, nihil carnale sonat, sed cœlestia omnia. Pœnitentiam agite, instat regnum cœlorum, tonitru est. Ad hanc enim uocem corripit unumquemque timor fulminis, sed succedit inber. Credite Euangelio, & salui eritis. Quartus erat Andreas frater Petri. Quintus Philippus. Sextus Bartholomæus. Septimus Matthæus. Octauus Thomas, cui cognomentum erat Didimus ex interpretatione Hebraica. Nonus Iacobus Alphæi filius. Decimus Thaddæus. Undecimus Simon Cananæus. Duodecimos, Iudas Iscariotes, qui prodidit dominum. Per hos paucos obscuros, illiteratos, & imbecilles uisum est domino totum innouare mundum, ne quam laudis partem in cœlesti negotio sibi uindicaret humana uel sapientia uel potentia.

Matth. 9. d. 12. b

Luce 11. b

Et ueniunt ad domum: & conuenit iterum turba, ita ut non possent neque panem manducare.

His rebus prædictis in monte peractis, ut nos doceremur in deligendis Euangelici sermonis dispensatoribus non esse uocandos in concilium humiles & priuatos affectus, descendit Iesus cum electis suis proceribus, & pariter ueniunt in domum, nimirum iam familiares & domestici dei. Hæc forma nobis expressa est, ut sublimitate sua doctores non grauentur sese ad humilia con-

infirmorum demittere, quo plurimos domino suo lucrifaciant. Sequamur & nos Iesum in domum hoc animo, ut perspiciamus quid sit expectandum, & ad quæ præparandus sit animus, his qui suscipiunt negotium, sincere prædicandi Evangelium cœleste. In montem non conscenderat turba. Est enim hoc eorum quos ad id selegerat dominus. Verū ubi descensum est ad humiliora, rursum confluit promiscua turba, tanta importunitate instans, ut audiret Iesum, & à morbis liberarentur, ut apostolis non fuerit otium uel cibi sumendi. Nihil hoc spectaculo gratius esse potest Evangelicis doctoribus, quam quum populus discendi avidus, negotium facessit sacerdotibus, quum ingens catechumenorum multitudo ecclesiæ fores obsidet, quum promiscuæ multitudini angustia sunt basilicæ concionantibus episcopis.

Et cum audissent sui, exierunt tenere eum, dicebāt enim: Quoniam in furorem uersus est.

Hæc omnia quæ gerebantur ubi rumor pertulisset ad cognatos Iesu, quibus erat nota carnis infirmitas, quum de diuina potētia nihil suspicari possent homines crassi, Iesum cum humili fordidoq; sodalitia sursum deorsum uagari trahere post se cateruas hominum, noua quædam & inaudita docere, profligante morbos, eijcere dæmones, furori tribuebant quod offensi corporis imbecillitate non poterant adscribere diuinæ potentia. Norant matrem & patrem, norant domum & omnem familiam, norant ipsum in cæteris nihil à reliquis differentem, & intelligebant quæ nunciabantur supra modum humanarum esse uicij, ut mentis impotentem & à spiritu quopiam arreptum uinculis coercerent. Dicebant enim: In furorem uersus est. Etenim qui contemptis rebus terrenis omnibus, atq; ipsa etiā uita cœlestem philosophiam toto pectore amplectuntur, infani uidentur his quibus nihil sapit nisi terrenum & caducum. Qui patrocinium profudit in usus pauperum, insanit ei qui uitæ præsidium in diuitijs collocauit. Qui ob Evangelium uolens semet in exilium, paupertatem, carceres, cruciatus, ac mortem immittit spe felicitatis æternæ, furit ei qui post hanc uitam non credit esse uitam feliciorē pijs. Qui spernit principum ac populū honores, ut gloriam assequatur apud deum, insanit his qui uere insaniunt largitionibus, fraudibus, per fas nefasq; regnū ac dignitates mox eripiendas ambitiones. Et hoc tam impium iudicium à suis propinquis tulit dominus, ne quid offendatur sui discipuli, si similia contingat audire à suis, secundum illud: In propria uenit & sui eum non receperunt. Quem enim faciūt alij magnum, sui despiciunt, quia non est propheta sine honore nisi in patria sua: quia sapientiæ altitudinem capere non poterant, alieno sensu locutum putabant.

Et scribæ qui ab Hierosolymis descenderant, dicebant: Quoniam Beelzebub habet: & quia in principe dæmoniorum eijcit dæmonia.

Si qui tarditate mentis non intelligunt uerbum dei, remanet tamen in eis spes salutis, si forte intelligant. Qui autem intelligere nolunt, & inuertunt stultorum quod intelligunt, nulla spes est. Vnde scribæ & pharisæi, qui testes fuerant tantorum miraculorum, quos oportebat ob prophetarum cognitionem ex huiusmodi factis intelligere iam adesse quod illi promiserant, & ob religionis excellentiam, qua sibi placebant, uenari diuinam potentiam, quam omnes sibi salutiferam experiebantur, blasphemis uocibus incessunt Iesum, dicentes: Sunt hæc quidem humanis uiribus maiora quæ facit, uerum nō ista facit uirtute dei,

sed potentem aliquem & insignem Beelzebub, qui princeps est omnium dæmoniorum, dictus Iudæis dominus uel uir muscarum, & huius auxilio profligat dæmonia, minus pollentia uiribus.

Et conuocatis eis, in parabolis dicebat illis: Quomodo potest satanas satanam eijcere? Et si regnum in se diuidatur, non potest regnum illud stare. Et si domus super semetipsam dispartiat, non potest domus illa stare. Et si satanas consurrexerit in semetipsum, dispartitus est, & non poterit stare, sed finem habet.

Impudentem & cæcam hanc blasphemiam, quoniam non tam impetebat Iesum, quem nihil aliud quàm hominem esse credebant, quàm ipsum deum, cuius gloriæ inuidentes, miracula quæ illius uirtute gerebantur ascribebant impuro dæmonio, Dominus accurate refellit, adhibitis etiam parabolis, quorum omnium sensibus redderet euidentem. Quum totum, inquit, regnum dæmonum sit aduersum regnum dei, qui sit, ut satanas satanam eijciat: Nisi forte ipsi inter se bello intestino tumultuentur, quasi sub eodem principe tumultuantes, sese uicissim depellant è presidio. Quod si regnum inter homines factionibus intestinis diuisum fuerit, ruina proximum est. Propterea quod ut concordia custos est optima regni, ita discordia nihil non quamlibet firmum ac munitum demolitur. Quomodo consistet regnū Beelzebub, si dæmon eijciat dæmonem? Quid de regno loquor? Adeo nihil est stabile ubi regnat seditio, ut ne priuata quidem domus diu possit consistere, si mutuis odijs inter sese dissideant inhabitantes. Si igitur ope Beelzebub eijcio dæmonia, quemadmodum uos falso calumniamini, certum argumentum est, illius regnum breui casurum. Ac destructo dæmonum regno, quid super est, nisi ut existat regnum dei? Sin, quod est uerissimum, uirtute dei profligo dæmones, deo hostes & humano generi inimicos, profecto palam est iam adesse regnū dei, cuius potentia dæmones coguntur cedere. Non enim cedunt uolentes, nec ex pacto. Nullum esse potest fedus inter deum & dæmones. Bellum est irreconciliabile, ueluti cum bellum in ciuile inter duos egregie fortes.

D Nemo potest uasa fortis ingressus in domū diripere, nisi prius fortis alliget, & tunc domum eius diripiet.

Vbi bellum inciderit inter duos egregie fortes, & implacabili odio inter sese dissidentes, neuter ab altero patitur se capi, nisi uel bello quæ subactus. Quis enim fortis & animosus dux, patitur hostem suum irrumperere in domū suam, quam habet egregie munitam, nisi uel domum expugnet aduersarius, & uictum conijciat in uincula? Hoc facto diripiet domum illius, & prædam abducat. Quod si uidetis clamantes & eiulantes exigi dæmones, si uidetis multos relicti peccatis, quibus diabolo seruebant, sese recipere in libertatem innocentia, cur dei uictoris gloriam transfertis in uictū Beelzebub? An Beelzebub hostis humani generis nunc mutatus consulit hominum salutem? An non ista est manifesta in deum blasphemia?

Amen dico uobis, quoniam omnia dimittentur filijs hominum peccata & blasphemia quibus blasphemauerint: qui autem blasphemauerit in spiritum factum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti, quoniam dicebant: Spiritum immundum habet, sed reus peccate.

Illud pro certo habete, nullum est blasphemiae genus, quod non possit in peccare

petrare ueniam apud deum, propterea quod in alijs uel error uel imbecillitas humanae naturae ueniae locum relinquit. Ceterum qui contumelia affecerit spiritum sanctum, non impetrabit ueniam in aeternum. Dicit autem blasphemiam in spiritum sanctum, qui per inuidiam obstinatus opera quae uidet non posse geri nisi per spiritum dei, tribuit spiritui Beelzebub. Error & ignorantia meretur ueniam, destinata malitia aduersus bonitatem dei prouocantis ad salutem quomodo ueniam impetrabit? Blasphemiam quae committitur in filium hominis excusabit corporis imbecillitas. Ceterum uirtutem dei in ipsis operibus relucens genus est inexcusabile. Haec illis locutus est Iesus, uindicans patri suam gloriam, & suam interim negligens. Innuebat autem, excusabilius peccare qui de ipso male sentirent, quemadmodum cognati, dicentes: In furorem uersus est, & apertant, quin essent deo digna, uelut insanabili malitia tribuebant spiritui Beelzebub. Nondum intelligebant in Christo diuinam naturam: neque enim Christus illud adhuc praedicari uolebat. Certe per homines puros deus suo spiritu frequenter aedit miracula, cupiens per haec glorificari apud homines. Ea si quis non per errorem sed per malitiam tribuat spiritui Beelzebub, huius est deplorata peruersitas. Proinde poterat excusari, si dixissent Christum esse nihil aliud quam hominem, non esse regem, non esse Messiam. Ceterum opera eorum spiritus dei possit operari. Nunc cum tot miracula mirabiliter uiderent aedita, quum uiderent a populo glorificari deum, quum uiderent tot homines sanari, tot liberari a spiritibus immundis, tot a scelerata uita conuerti ad studium pietatis Euangelicae, idque opera Iesu Christi, tamen pertinaciter dicebant, Daemonium habet, non spiritum dei.

Et ueniunt mater eius & fratres, & foris stantes miserunt ad eum uocantes eum. Et sedebat circa eum turba, & dicunt ei: Ecce mater tua & fratres tui foris quaerunt te. Matth. 12. d
Luce 8. c

Vindicauerat iam multis sermonibus dominus gloriam patri caelesti aduersus impiam pharisaeorum calumniam, ac Iudaeis exprobrauit obstinatam & intractabilem incredulitatem, quum per solam fidem omnia peccata relaxentur, interim superuenit occasio, per quam Euangelicae uirtutis gloriam uindicaret etiam ab humanis affectibus, quibus alijs in rebus laudi ducitur multum tribuere. Aduenerunt enim cognati Iesu, comitantes matrem ipsius, quibus cum ob turbae densitatem non pateret ingressus, constiterunt foris, ac uox ceu per manus tradita peruenit ad eos qui sedebant circa Iesum. Hi referunt adesse matrem ipsius ac fratres, cupientes cum eo colloqui. Erant autem & inter propinquos cognatos quorum alij parum magnifice sentiebant de Iesu. Nonnulli etiam insaniam suspicabantur, & tamen existimabant ob sanguinis propinquitatem hoc sibi iuris esse, ut illum quouis etiam tempore ad colloquium euocare possent.

Et respondens eis, ait: Quae est mater mea & fratres mei? Et circumspiciens eos qui in circuitu eius sedebant, ait: Ecce mater mea & fratres mei: qui enim fecerit uoluntatem dei: hic frater meus & soror mea & mater est.

Dominus quo nos doceret negotium Euangelicum quod spiritu patris ge

rebatur ad hominum salutem & dei gloriam non oportere illis humanis affectibus interpellari, uelut indignatus respondit: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres ac propinqui mei? In hoc negotio non agnosco cognationem carnis. Habet Euangelium suam cognationem spirituales, quæ multo arctioribus uinculis astringit animos quàm illa iungit corpora. Quumq; circumtulisset oculos ad discipulos, qui proxime circumsedebant docentem, addidit: Ecce hi sunt fratres mei & mater mea. Ut per Euangelium noua natiuitas est, ita noua est cognatio. Quisquis enim crediderit Euangelio, & in hoc paruerit uoluntati patris mei cœlestis: hic, etiam si sit non solum à propinquitate domestica, uerum etiam à tota gente alienissimus, frater meus, hic soror mea, hic mater mea est. Si quidem hæc cognatio non æstimatur gradibus sanguinis, sed spiritus. Non agnosco cognationem cuiusquam, nisi per fidem renascatur ex patre cœlesti, iamq; ut filius germanus patri cœlesti ad æterna uocati obtemperet. Ut quisq; hoc perfectissime præstiterit, ita mihi habebitur proxime cognatus. Non resistat Christus obsequi matri, qui dicit: Honora patrem & matrem, sed ostendit se plus debere paternis mysterijs quàm maternis affectibus. Idem exemplo monstrauit, quod uerbo ait: Qui amat patrem aut matrem plus quàm me nõ est meus dignus. Nec fratres iniuriose contemnit, sed opus spirituale præfert cognationi, docens meliorem esse copulam cordium quàm corporum.

CAPVT IIII.

Matth. 13. 4
Luce 8. 4

A T iterum coepit docere ad mare, & congregata est ad eum turba multa, ita ut in nauim ascendens sederet in mari, & omnis turba circa mare super terram erat: & docebat illos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina sua: Audite,

Domum reliquit Iesus, quæ synagogæ typum habet, in qua blasphemis uocibus incessitur à pharisæis, in qua interpellatur importunitate cognatorum, ac rursus se contulit ad lacum, ueluti gentium amplitudinem desiderans. Subinde pellitur à Iudæis, subinde præludit Euangelio ad gentes demigraturo. Et enim cum in domo, hoc est in Iudæa uersaretur, pauci adhæserunt Iesu, quos fratres, sorores ac matres appellat. Multi obmurmurant, multi conuitantur, plurimi insidiantur, ac proxime cognati docentem interpellant. Non amat tales domos dominus Iesus, amat multitudinem, non sibiipsis placentium, quemadmodum faciebant pharisæi, non obtrectantem, quemadmodum faciebant cognati, qui crassi carnali sapientia cœlestem sapientiam interpretabantur in suam: non affectibus humanis cœleste studium interpellentem, quemadmodum mater & propinqui. Amat multitudinem auidam sermonis Euangelici, & ex huius fiducia totam pendentem. Itaq; cum dominus Iesus uenisset ad lacum, ibiq; doceret ut ante fecerat, rursus ingens hominum turba eò confluit, adeo ut ob tumultum turbæ sese protrudentis cogeretur scapham conscendere, unde uelut è suggestu docebat multitudinem in littore uelut in amphitheatro condensatam. Disce doctor Euangelice, quid sibi uelit hæc imago. Sic fuges promiscuam ac tumultuosam turbam, ut tamen ab officio docendi non cesses. Vbi periculum est, ne te negotiorum tumultus obruat, ut iam docere non possis, recipe te in nauiculam euangelicam, quæ nescit tumultus terrenos. Hinc quietus docebis multitudinem infirmam ac rudem. Ne procul à littore recesseris, esto uicinus ripæ, quoad licet te populi captui te attemperans, nondum enim potest te sequi. Primum doctrina rudibus animis attemperanda est, ut pro-

nec profecerint. Quid enim Iesus è scapha sua docebat, nisi rudem ac promissuam hominum turbam? Proponebat eis parabolas, hoc est rerum omnibus notissimarum sollicitudines. Est enim hoc simplicissimum docendi genus, ac ruuane doctis, & huius mundi sapientibus. Sed hoc docendi genus placuit æterebant auditoribus. Rhetores admirabili dicendi copia uim admouebant anigerebant. Pharisei retrusa quædã & à populari captu procul semota conne Scenica alienum sibi delegit dominus, ut tota gloria mudi per Euangelium innouati esset uirtutis diuinæ. Multis itaq; parabolis excitauit animos illorũ, ut simplici credulitate purisq; mentibus acciperent sermonem Euangelicum, unde salutis nostræ principium proficiscitur. Id quoniam oportebat omnium quit, si quis habet aures quibus audiatur; fabula est non parabola, nisi quis attentiliter simplices, sapienter stultas, obscure dilucidat: sub uili enim ac ridiculo rectorio calant sapientiam cœlestem. Neq; Iesu satis erat, si arrexissent aures, spectatores etiam esse uoluit eorum quæ dicerentur. Beati uero qui ad Iesu sermonem & aures habent purgatas, & oculos synceros, fideleq; iudicium.

Ecce exiit seminans ad seminandum, & dum seminat, aliud cecidit circa uiam, & uenerunt uolucres & comederunt illud. Aliud uero cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam, & statim exortu est, quoniam non habebat altitudinẽ terræ, & quando exortus est sol, exarsit, & ascenderunt spinæ & suffocauerunt illud, & fructum non dedit. Et aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum ascendentem & crecentem, & afferebat unum trigessimum, & unum sexagesimũ, & unum centesimum.

Ecce, inquit, seminator quidam egressus in agrum ad seminandum suum semen, quod habebat eximiũ & uiuax, dumq; copiosi prouentus auidus nusq; non spargit semen, etiam de industria euenit, ut aliud inciderit iuxta uia agro proximam. Id quoniam ob uia duritiã remãsit in summa terra, protinus aduolauerunt aues, & collectum deuorauerunt. Rursus aliud incidit in terram petricosam, quæ quoniã exiguo puluere tegebat latentia saxa, semen ante tempus exilijt in herbã, uidelicet eliciente illud tepore cœli. Mox aut ut incanduit solis feruor, æstu affectum est quod erat præcociter enatum: & quoniam obstentibus saxi non habebat radices quæ ex altiore terra suggererent humorem, aduersus ardorem solis exaruit priusquam assurgeret in aristam. Rursus aliud incidit in terram, fertilem quidem ipsam, sed uepribus ac spinis obsitam. Porro cum spinæ succrescentes in latum ac longum condensarent sese, factum est ut herba tenera enata priusquam emerget in lucem, suffocaretur, non humoris inopia sed auræ. Proinde nec hinc ullus fructus redijt ad seminatore. Verum non erat omnino irritus seminantis labor: nam fuit semen quod incidet in terram bonam. Hinc enata est herba quæ succreuit, & adoleuit usq; ad maturitatem: nec ullum granũ caruit suo fructu, tametsi dispari foenore. Siquis

dem aristæ nonnullæ ex uno grano reddidere triginta, aliæ sexaginta, nonnullæ centum.

B Et dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat. Et cum esset singularis, interrogauerunt eum hi qui cum eo erant duodecim, parabolam. Et dicebat eis: Vobis datum est nosse mysterium regni dei: illis autem qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt, ut uidentes uideant & non uideant, & audientes audiant & non intelligant, ne quando conuertantur, & dimittantur eis peccata.

Isaie 6. c.
Matth. 13. b
Lucæ 9. b
Ioan. 12. f
Acto. 18. f
Roma. 11. b

Cum hæc dominus locutus esset, ne quod dictum esset elaberetur, sed apud se quisque scrutaretur, quid sibi uellet hæc parabola, subiicit: Qui habet aures ad audiendum, audiat: nimirum indicans non omnes audisse quod adhuc satis intelligerent quid sentiret hæc similitudo, non ausi sunt palam interrogare, sed naturali solitudinem ausi sunt rogare Iesum, ut sibi parabolæ secretum exponere diceretur. Tum Iesus admonens nos non omnibus omnia proferenda, sed pro ratione temporum, proque captu auditorum dispensandam esse doctrinam Evangelicam, ait discipulis suis: Principes huius mundi paucis communicant arcana sua, ipsi selectis & exploratis quibus tuto sua possint credere consilia dant, tum uero celant, si quid habent arcani. Vobis autem est uulgo mihi selectis daturum est nosse mysterium regni caelorum, qui mecum domesticam agitis consuetudinem. Ceterum plebeis & ab aulica familiaritate seclusis, omnia sunt per parabolam, siue quid loquar eis, siue quid faciam. Non enim habent aures idoneas nec oculos idoneos. Quod audiunt non credunt, quod uident calumniantur. Itaque fit in istis quod propheta dixit futurum, ut quum maxime uideant tum non uideant, & quum maxime audiunt tum non audiant, quia non intelligunt. Non intelligit autem qui non credit. Porro non remittuntur peccata nisi credentibus, Evangelio gratuito peccata condonari. Itaque ipsorum incredulitate fit, ut non conuertantur ad deum, quoniam ipsi semet auertunt à deo, nec remittantur à peccatis, quia pharmacum respuunt quo sanantur peccata. Hæc Iesus mone Iesus notauit eosdem quos modo designarat per terram uarijs de causis sterilem.

Et ait illis: Nescitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolam las cognoscetis? Qui seminat, uerbum seminat. Hi autem qui sunt circa uiam, ubi seminatur uerbum, & cum audierint, confestim uenit satanas et aufert uerbum quod seminatum est in cordibus eorum. Et hi sunt similes militibus qui super petrosa seminantur, qui cum audierint uerbum, statim cum gaudio accipiunt illud, & non habent radicem in se, sed temporales sunt, deinde orta tribulatione & persecutione propter uerbum, confestim scandalizantur. Et alij sunt qui in spinis seminantur: hi sunt qui uerbum audiunt, & ærumnæ sæculi & deceptio diuitiarum & circa reliqua concupiscentiæ introeunt suffocant uerbum, & sine fructu efficiuntur. Et hi sunt qui super terram bonam seminati sunt: qui audiunt uerbum et suscipiunt, et fructificant, unum trigessimum, unum sexagesimum, et unum centesimum.

Ut discipulos dominus redderet dociliores, subincrepat illorum tarditatem. Non

Nondum conijcitis, inquit, quid sibi uelit hæc parabola, quæ facilis est coniecturæ et quomodo reliquas parabolas omnes cõiectabitis, quum nihil dicam aut faciam, quod non occultioris alicuius rei significationem habeat? Exponam hanc, ut asuescatis & ipsi in cæteris scrutari retrusoris sensus arcanum. Ager est mundus, qui plurimos habet inidoneos Euangelicæ doctrinæ. Seminator est filius hominis, qui è cœlis descēdit in terras. Semen est sermo Euangelicus, per quem mortalibus annunciatur uoluntas dei. Voluntas autem hæc est, ut omnes suis uiribus diffili toto pectore fidãt promissis Euangelicis, uidelicet per fidem omnibus condonari peccata, si post cognitam ueritatem sese conuertant ad studium ueræ pietatis. Semen igitur quod dicebam cecidisse iuxta uiam, notat illos qui leuiter & uelut aliud agentes audiunt sermonem Euangelicum, perinde quasi audirent humanam quampiam fabulam. Nec ulli minori fructu audiunt; mox enim ut audierunt aduolat satanas, et alijs cogitationibus immisit in animum, eximit semen, priusquam inhæserit animo, ut nec meminerint quid audierint. Iam semen exceptum in terram petricosam, notat istos qui satis aude percipiunt sermonem Euangelicum, ac deuorant cum gaudio, recondunt in pectus suum, nimirum obstantibus alijs affectibus qui animum occupant, nec uolunt cedere sermoni diuino, non perseverant in eo quod alacriter cœperant, nec ullum fructum Euangelicæ pietatis adunt, sed temporarium dumtaxat, propterea quod radicibus careant. Itaq; fit, ut rebus secundis credant Euangelio, ac uelut herba prognata de se spem bonam præbeant, cæterum simul atq; ingruerit aduersitas & tempestas ob Euangelij professionem oborta, protinus offensi deficiunt ab instituto. Semen autem quod incidit in solum spinosum, designat eos qui sermonem quidem Euangelicũ diligenter audiunt ac meminerunt, sed fallacium diuiciarum amor aliarumq; rerũ falsa bonitas, tandem obruunt semen, ne possit ad frugem emergere. Deniq; semẽ quod incidit in terram bonam, signat eos qui attente audiunt sermonem Euangelicum, audito credunt, ac traiciunt in intimos sinus cordis sui donec emergat in fructum Euangelio dignum, uario quidem discrimine pro soli uarietate procreta, tertium centum, ueluti si unum granum producat triginta, aliud sexaginta, alius copiosissimum, ueluti si unum granum producat triginta, aliud sexaginta, non est cur sibi placeat. Qui copiosum producit fructum est cur deo gratias agat, nim qui nulli est obnoxius aut debitor, pro sua benignitate partitur cuiq; suas dotes, prout ipsi uisum est. Quicquid prouenit illi debetur qui primus iecit semen, & per quem augetur quicquid prouenit.

Et dicebat illis: Nunquid uenit lucerna ut sub modio ponatur, aut sub lecto? Nonne ut super candelabrum ponatur? Non est enim aliud quod absconditum, quod non manifestetur: nec factum est occultum, quod non ueniat in palam. Si quis habet aures audiendi, audiat.

Cupio hoc semine totius orbis segetem undiq; occupari quum tempus ad uenerit, & hanc doctrinam quam nunc paucis uobis clanculum impartio, q̄ latissime per uos propagari, ut & uos exhibeatis imaginem terre bonæ, si quod accepistis in quam plurimos trãsfundatis: nullus enim hoc fructus est deo gratior. Cauendum est igitur uobis, ne semen animis uestris creditum obliuione

Matth. 13. b

Luca 8. c. u. e

Matth. 10. c

Luca 8. c

negligentiæ uestra pereat. Sed diligenter recondendum in animo, ut suo tempore prorumpat, fructumque copiosissimum adferat. Hæc admonitio quo alius infederet apostolorum pectoribus, addidit parabolam Iesus: Nolite putare me quod nunc secreto uobis committo perpetuo cælatum esse uelle. Num quis accendit lucernam, ut accensam subter modium aut subter lectum recondat: an potius ut imposita candelabro luceat omnibus qui uersantur in domo: Sermo Euangelicus semper est, quod ideo uobis concreditur, ut multo cum foenore proueniat. Lux est per me in uobis accensa, ut uestro ministerio discutiat tenebras totius mundi. Nunc quidem multa cælamus multitudinem, quoniam nondum est capax, & si esset, nondum aduenit tempus. Verum ubi tempus aduenit, nihil est inter uos tam absconsum, quod tum non sit patefaciendum: neque quicquam tam arcanum, quod non sit palam omnibus prædicandum. Non enim oportebit ullis rebus ab Euangelij propagatione deterreri, sed omnibus posthabitis hoc unum erit noctes & dies agendum. Væ enim illi qui semen bonum sibi concreditum non propagarit, qui lucem sibi traditam absconderit. Proinde si cui uestrum sunt aures ad audiendum, hunc sermonem audiat, & audiat me minerit.

Matth. 7. a

Luce 6. f

Matth. 13. b. 23. c

Luce 8. c. 19. d

Et dicebat illis: Videte quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis, remetietur uobis, & adijcietur uobis. Qui enim habet dabitur illi: et qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo.

Rursus ne quod dixerat excideret, adiecit Iesus: Videte quid audiatis, & curate ne frustra audieritis. Non enim auditis humanas fabulas, sed cœlestem doctrinam, per uniuersum orbem uestra opera diffundendam. Quod accepistis bona fide tradite, ne quid diuersum ab eo quod accepistis doceatis. Magno uestro fructu hæc auditis, si tenebitis, & gnauiter alijs communicabitis quæ auditis. Magno uestro periculo auditis, si uel metu humano percussis, uel huius mundi commodis deliniti, suppresseritis quod accepistis. Nolite esse parci aut ignaui dispensatores doctrinæ quam uobis impartior. Largiter effundite, quam doquidem uestra benignitas non diminet, sed augebit quod habetis. Pecunie thesaurus exhauritur benignitate, hic thesaurus cœlestis quo benignius impartietis, hoc magis cumulabitur. Neque ut pauperior est qui largitur opes suas egentibus, ita indoctior est qui doctrinam Euangelicam quam pluribus communicat. Verum ut qui præluet multis, non ideo minus ipse lucis habet, non solum non facit iacturam eius lucis quam habet, uerum etiam copiosiore donatur lumine, quo pluribus queat prodesse. Quod habetis non uestrum est, sed cœlestius qui dispensandum credidit. Id si larga mensura dispensabit alijs, qui dedit sortem larga item mensura adijciat incrementum. Amat deus profundiores suas, et præter humanarum opum consuetudinem magis ditescit qui profundior fuerit. Sic enim promeretur, ut qui multum dedit adijciat plurimum, propterea quod perspiciat id quod datum est in multorum effundi utilitatē. Ergo qui habet effundat largiter, ut abundet. Nemo recte donat diuitias abundanti, sed cœlesti genti dant, qui uitæ liberales sunt. Hic contra fit. Qui habet, nec habet sibi tantum, sed alijs impartit quod habet, ei tanquam bonæ fidei dispensatori adijciatur ut abundet. Qui uero non habet (non habet autem qui thesaurum defossum apud se seruat) non solum non erit ditior, uerum etiam hoc ipsum quod in se habet uidebatur habere, tolletur ab eo. Neque uero illud uos reddat in dispensandis dei dō-

dei dotibus segniores, si hominum ingratitude uestro studio non respondeat. Salua uobis erit uestra merces apud deum, qui quo quisque plus laborauit in Euangelio propagando, hoc copiosius resoluet pramiū in futuro saculo. Quamquam nec interea prorsus uestro pramio fraudabimini, in dies magis ditescentes opibus Euangelicis.

Et dicebat: Sic est regnū dei, quemadmodum si homo iactat semen in terram, & dormiat & exurgat nocte & die, & semen germinet & increseat dum nescit ille. Vltro enim terra fructificat, primū herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Et cum ex se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.

Adiecit dominus & aliam parabolam, qua doceret suos nihil ipsis aliud curandum, nisi ut totis uiribus studerent Euangelio per uniuersum orbē diffundendo, tempus messis olim uenturum, quum ipsi domino uideretur. Sic, inquit, habet se regnum Euangelicum quasi si quis interdū iaceat sementem in terram. Mox ubi semē creditum est aruo, ueluti securus obdormiscit qui iecit. Eoquē dormiente, nihil secius interim semen tacitis incrementis absque cuiusquam opera noctu pariter & interdū prouenit. Iamquē seges enascitur, & assurgit, nimirum uultro properans ad frugem, uī quadam occulta naturæ. Habet autem natura gradus suos, quos citra cultoris operam seruat, posteaquā semel iactum est semen. Primum enim ubi in terra semen computruit, exilit in herbā. Ea prima spes prouētus. Deinde ubi culmus erexit sese, adnascitur spica, sed inanis. Tandem spicæ folliculi plenis tritici granis implentur. Atque hæc secretis profectibus ita procurat natura, ut proficere non sentias, profecisse sentias. Ergo ubi seges maturuit, qui iecit semen statim mittit falcem, ut demetat quod natū est, quoniā intelligit adesse tempus messis. Huius ænigmatis inuolucro dominus recte docuit suos, totius Euangelij exordiū, progressum, & consummationem: quarum primam & postremam partem ipse palam uisibili corpore peracturus esset; medium, hoc est progressum, inuisibili spiritus sancti gratia administraret. Siquidem ipse princeps per uniuersam Iudæam sparsit sementem Euangelicam. Mox eo peracto obdormiuit moriens primum, deinde resurgens in quiete uelut dormiente, ac secretis auctibus increseat, nocte simul & die, hoc est in prosperis pariter & aduersis, per omnem occasionem & promouentium & relictantium. Non enim potest non prouenire quod ille iecit, cuius uoluntati ne mor resistit. Porro cum nihil illum lateat, tamen permittens mundum aduersus euangelium tumultuari, permittens apostolos suos affligi & occidi, uidetur inuisiuius sui uirtute magis etiam nunc operetur omnia in omnibus. Nec rediturus est mundo conspicuus, nisi quum Euangelico negotio ad eam mensuram progressus, ea specie qua ascendit in cælum, separaturus piōs ab impijs, ac piōs ueluti probum frumentum in æternæ quietis horreum reconditurus. Videmus autem, ex quā paruis in itijs exortum est Euangelij regnum, si rem æstimes iuxta mundi speciem. Erat em̄ uelut herba prouenientis Euangelici seminis, quod pharisæi, scribæ, sacerdotes, seniores, præfecti, principes, reges, philosophi, certatim conabantur obruere ne proueniret. His frustra reluctantibus, occupare cepit totum orbem, nec desinet succrescere usque ad consummationem mundi.

donec maturuerit uniuersa seges. Tum mittetur falx ineuitabilis iudicij, quæ succisis omnibus zizania tradat igni, purum ac putum triticum seponat in tutum. Nam & hi uelut adiutores Iesu Christi seminatores sunt, nisi quod faciunt semen non suum, sed ipsis à Christo traditum: id quoniam est cœlestis, non potest opprimi. Habebant & pharisæi semen suum, habebant & philosophi suum. Hæc ne fauente quidem mundo potuerunt succrescere, dum interim cœlestis doctrinæ semen mundo totis suis præsidij oppugnante, indies magis ac magis inualecat. Itaque suo quodam modo seminant & apostoli, in hoc ipsum missi, qui subinde mutantes sedem, tantum hoc agunt, ut quam latissime diffundatur Euangelium. Prouentum ipsis dormientibus donat deus. Id semen in situ gulis etiam Christianis suam habet herbam, suam spicam, suam messem. Cæcumeni rudis est seges. Nuper per baptismum in Christum renati herba est, innocentia uirore lætam spem de se præbens. Vbi iam excelsiores facti adoleuerint Euangelicæ pietatis profectus, spicas habent. Vbi pro suo quisque modo maturuerit, facile succiditur. Falx autem mors est, post quam triticum neque crescit, neque decreuit, neque deterius fit, neque melius. Horreum est uita cœlestis

D Et dicebat: Cui assimilabimus regnum dei? aut cui parabola comparabimus illud? Sicut granum sinapis, quod cum seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus quæ sunt in terra, & cum natum fuerit ascendit in arborem, & fit maius omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra eius aues cœli habitare.

Matth. 13. c
Lucæ. 13. d

Alia parabola dominus Iesus expressit imaginem Euangelici profectus. Quo autem magis redderet attentos auditores, uelut hæsitans cui rei potissimum posset conferre regnum cœlorum, dixit: Cui rei dicemus esse simile regnum cœlorum? aut quam adhibebimus collationem, per quam illius naturam ac uim explicemus his qui nihil sapiunt nisi quod oculis uident? Simile est, inquit, granum sinapis, quod dum seminatur minus est omnibus seminibus olerum quæ seminantur in terra, ut si magnitudinem spectes aut speciem, non expectes alii cuius rei magnæ prouentum. Cæterum ubi fuerit enatum, ac sese semel exuerit è terra, meditatatur arborem, à stirpe durefcens, & late fundens ramos, supra mensuram omnium holerum, adeo ut auibus etiam præbeat umbram ac nidulandi locum. Paruus quidem est sermo fidei. Si credideris in Christum saluaberis, tale est granum sinapis. Nam prædicatio missa super terram dilatata est, & creuit, ita ut uolatilia cœli, hoc est omnes sublimes scientia & sensu, in ipsa habitent. Quot enim sapientes relicta sapientia gentiliu in prædicatione Euangelij quieuerunt? Maxima fuit prædicatio, magnos quoque ramos fecit. Vnus apostolorum Indiam, alius Romam, alius in aliam partem diuisim sunt ut rami dilatati & producti.

Et talibus multis parabolis loquebatur eis uerbum, prout poterant audire: sine parabola autem non loquebatur eis, seorsum autem discipulis differebat omnia.

His atque id genus alijs multis parabolis dominus Iesus rudi populo & cœcilo proponebat imaginem futuri successus Euangelici, sermonem suum ad illorum captum attemperans. Nihil autem illis tunc loquebatur, nisi per inuolucra parabolarum, quod nondum essent nudi sermonis capaces. Etenim si dixisset se breui à Iudæis occidendum, sed mox reuicturum, gloriamque suam per uniuersum orbem sparsurum: sic ut qui tum omnium infimus uidebatur, intelligeret

retur totius mūdi princeps, ut nulli mortalium quantumuis sublimi quies aut tutum receptaculum esset futurum, nisi sub ipsius ramos confugeret, nemo sermonē nec tulisset neq; credidisset. Et tamen expediebat illos hæc ueluti parabola. Apostolis autem secreto colloquio declarabat quis esset arcanus sensus parabolarum omnium quas dixerat. Sine parabola, inquit, nō loquebatur eis. Non quod nullum sermonem turbis apertum faceret, sed quia nullus sermo eius inuenitur, in quo aliquid parabolę non inueniatur.

Et ait illis in illa die, cum sero esset factum: Transeamus contra. Et dimittentes turbam assumunt eum ita ut erat in nauī, & alię naues erāt cum illo. Et facta est procella magna uenti, & fluctus mittebat in nauim, ita ut impleretur nauis. Et erat ipse in puppi sup cervical dormiēs,

Sic ille dies consumptus est. Vbi uero iam appeteret nox, præcipit discipulis suis, ut traiceretur in aduersam ripam. Quoniam inītiū incrementis Euangelij fiducia est erga Christum, & per Christum erga deum, dominus intelligēs nec discipulos suos adhuc rudes & imbecilles fidere ijs quæ docuerat, multis modis hoc agit, ut fiduciam hanc in illis gignat & confirmet. Potissimū autem robusta & immobili fiducia erga Christū est opus, quoties ingruit nox, hoc est tempestas rerū aduersarum. Obtemperant itaq; discipuli, ac dimissa turba quæ conseq; non poterat Iesum ipsa nauī, in qua tamen erat docens, cœperunt in ulteriorem ripam transuehere, comitantibus & alijs aliquot scaphis. Transuegis diligens sciebat multos grauesq; tumultus olim excitandos ab his qui magis hos igitur ut confirmaret suos, doceretq; nullam potestatem quamuis atrocem metuendam esse, ijs qui toto pectore fiduciam habent in domino Iesu, passus est periclitari discipulos usq; ad desperationem. Posteaquam enim iam procul ab nauigassent à terra, subito exorta est uehemens uentorum procella, adeo ut excitatis undis uentorū uis fluctus impelleret in nauim, iamq; periculum esset ne ui aquarum impleta subsideret. Interea Iesus in nauī dormiebat, capite innitēs supposito cervicali. Non erat ille somnus simulatus: uere dormiebat laboribus & uigilijs fatigatus, nimirum corpus humanum gerēs omnibus his affectionibus obnoxium quibus nostra sunt obnoxia. Verum ille non ignorabat quid esset euenturum: nouerat tempestatem exorituram; sciebat apostolos motu territos ipsum excitaturos. Non poterat illos efficacius docere nihil esse metuendum his qui fidunt Iesu. Dormit autem Iesus, ut maius appareat miraculum, quum prius turbati fuissent. Nam si uigilasset Christus, & facta fuisset tempestas, uel nō timuissent, uel non orassent. Proinde permisit eos in metu periculi incidere, quo uirtutem ipsius sentirent manifestius. Quia enim uidebant alijs beneficia dari, sese autem nullo tali frui, periculum erat ne negligentiores: itaq; tempestatē oriri permittit. Porro super cervical dormit, quales habebatur in nauī, nimirum ligneum, non de pluma uel mollius.

& excitant eum, & dicunt illi: Magister, non ad te pertinet quia perimus: Et exurgens comminatus est uento, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessauit uentus, & facta est tranquillitas magna.

Vellicant discipuli magistrum dormientem, & expergefatto dicunt: Magister, ita ne tu nobis pereuntibus dormis securus? nec tua referre putas si merga

mur? Fiduciam argumentum erat, quod ingruente periculo confugerint ad se-
sum, sed imperfectam fiduciam erat, quod credebant se parum tutos domino dor-
miente. Iesus autem expergefactus, ut ipsa re declararet se dominum esse ele-
mentorum omnium, increpauit uentum, iussitque conuiescere. Deinde loquens
est mari: Sileto, obticescito. Agnouerunt conditoris sui uocem duo nulli ho-
minum obtemperantia elementa. Mox conuiescit uentus, subsidere fluctus,
& facta est tranquillitas.

Et ait illis: Quid timidi estis? necdum habetis fidem? Et timuerunt
timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis putas est iste, quia &
uentus & mare obediunt ei?

Dominus uersus ad suos increpat incredulitatem illorum. Quid, inquit, ita
timetis? Nondum tot conspectis miraculis habetis in me fiduciam? Porro disci-
puli ceterique qui erant in nauis inspecta prodigij nouitate, ut mare mutum es-
simum & indomitum, ut uenti uiolentum item elementum repente ad in-
crepantis uocem conuiescerent, intelligentes rem esse supra conditionem hu-
manam, dicebant inter sese: Quis est hic cui non solum morbi ac demones ob-
temperant, uerum etiam muta elementa obediunt iussis illius? Filius hominis
iuxta cupiditates hominum non habebat in hoc mundo ubi reclinaret caput
suum. Nam & in cruce moriens, cum non haberet in quod reclinaret caput suum,
demisso capite expirauit. Ceterum hic non solum quiescit, uerum etiam in
cal subiecto, & statim oborta est procella, ut sciremus quantum discriminis in-
mineat ecclesiae, quoties in nobis dormit Iesus. Dormit autem, quoties pas-
res delinunt commodis huius mundi, profundo somno consopiti sunt, adeo ut
quantum uis uellicis, quantum uis inclames, non queant expergisci. Quam al-
te dormiunt episcopi, qui uoluptatibus dediti, qui regnandi libidine temulen-
ti, qui nummis congerendis affixi, nec gregis commissi curam ullam agunt, nec
salutis meminerunt, neque tantillum communi periculo commouentur, ut ex-
perrecti secum cogitent: Quid facio demens? Grex domini mihi concreditus est
pascendus. Ac propediem ueniendum erit ad tribunal aeterni iudicis, qui pro
his ouibus quas meae commisit fidei pretiosum sanguinem suum fudit. Quid il-
li responsurus sum? Debebam exemplo uitae inculatae praelucere meis ad salu-
tem aeternam, & perdita uita dux fui ad gehennam. Debebam eos pascere do-
ctrina Evangelica, non pasci, sed deglubui, sed spoliaui, sed mastrauit. Pro patre
tyrannum egi, pro episcopo lupum ac praedonem. Atque interim sursum deora-
sum miscet tempestas omnia. Iesus autem qui uerus est pastor ecclesiarum, dor-
mit, dissimulans ac permittens oboriri procellam: sed ita dormit, ut ad clamorem
suorum protinus expergescat. Vna est nauis in qua Christus uehitur, sed hac
plures habet comites. Vna est ecclesia catholica, rursus multae sunt ecclesiae.
Nulla nauis mergitur quae sequitur Christum, quae uerbum domini simpliciter
amplectitur, & tota fide credit Evangelio, quantum uis iacentur fluctibus, quan-
tum uis periclitentur, incolumes ad portum perueniunt. Sed hoc interim nos
docet tempestas & nox, in nostris uiribus nihil esse nobis praesidij, totam salu-
tis spem in uno Christo sitam esse, si quis illi toto fidat pectore. Frequenter & pri-
uatim in suo cuique pectore tempestates huiusmodi concitat satanas. Sed postquam
posteaquam uigor Evangelici spiritus ueluti consopitus dormit, tum oboritur ueni-
si malarum cupiditatum, animi tranquillitatem perturbant. Periclitatur ipsa mens,
nihil

Episcopi dormi-
entes.

nihil est præsidij in remigio, nihil in uelis, certum exitium urget, nisi precibus ardentibus & improbis excitetur Christus. Si non statim audit in clamatus ne cessat, sed stimula, uellica, donec expergefiat, per hunc ilico redibit tranquillitas.

CAPVT V.

T uenerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum. Et exeunti ei de nauis, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis, et neque catenis iam quisquam poterat eum ligare: quoniam sæpe compedibus & catenis uinctus, dirupisset catenas, & compedes comminuisset: & nemo poterat eum domare, & semper die & nocte in monumentis & in montibus erat, clamans & concidens se lapidibus.

A

Matth. s. d

Luce s. d

Quemadmodum autem hæc tempesta docuit omnes tumultus Christi præsidio fortiter esse ferendos, quos hic mundus aduersus Euangelium esset exciaturus, & aliquando Christi iussu uertendos in summam tranquillitatem: ita mox successit imago, quæ significaret alicubi fore Barbaras & immanes nationes, quæ doctrinam Euangelicam primum auersarentur ob ingenij feritatem: iam cognitum acciperent. Appulit ergo Iesus sedata procella cum suis comitibus in diuersum littus. Ea regio dicta est Gerasenorum ab urbe celebri Gerasa, quæ est Arabia, contigua monti Galaad, in tribu Manasse, haud procul distita à lacu dicto Tiberiadis. Iam enim dominus Iesus præludit ad efferatam quarundam gentium barbariem, de quibus dubites an hominis uocabulum mereantur. Et tamē nulla tam efferata feritas est, de qua sit desperandum. In hanc igitur regionē, ubi nauis egressus Iesus uenisset, statim occurrit imago, quæ mores & ingenium gentis exprimeret. Prorupit enim ad sensum aduenientis domini, homo quidam obnoxius impurissimo sæuissimoque dæmoni. Is fugitans hominum frequentiam, uitam agebat in desertis locis, latitans in monumentis defunctorum, quæ iuxta uiam erant. Neque quisquam tentabat eum amplius alligare, propterea quod sæpe antea uinctus dirupisset catenas, & compedes comminuisset. Nec ulla uis poterat eum domare, quo minus libere ferretur impotens sui, quocumque raperet dæmon. Itaque solutus, noctes ac dies uagabatur per sepulchra mortuorum, perque montes inuios, uociferans & concidens se lapidibus. Hoc spectaculum si cui uideretur ut est miserabile & horrendum, cogitet quantum miserabilius sit spectaculum sub oculis dei, homo qui præter hominis nomen nihil iam habet hominis, luxu perditus, in scorta furens, in aleam insaniens, temulentia uesanus, rixosus, prædator, pulsator, uiolentus, nullius nec dei nec hominum legibus coercendus, nec pudore nec reuerentia nec metu cohibentus, audens quicquid animo collubatum fuerit, qui exiguo stipendio conductus, ad quoduis bellum, ad iugulandum homines ignotos nihilque commertit prophanaque omnia. Adde his periuria, blasphemias, & incestus, huic hominum generi familiaria crimina, adde prodiones & ueneficia ac magicas artes, & uidebis quanto leuius furebat ille dæmoniacus quam hic perditus. Sed quid? An de huiusmodi desperandum est? Nequaquam, si modo contingat uidere Iesum: is autem fide conspicitur.

Videns autem Iesum à longe, cucurrit & adorauit eum, & clamans

uoce magna dixit: Quid mihi & tibi Iesu fili dei altissimi? A diuro te per deum ne me torqueas, Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine isto.

Quum miser ille ad strepitum hospitii processisset e latebris suis, impetum facturus in eos, quemadmodum consueuerat; mox ut eminus uidit Iesum, ui coelesti attractus, subitoque mutatus accurrit ad illum, & adorauit eum. Moxque daemone per os hominis coepit ingenti uoce clamare: Quid tibi rei mecum est, Iesu fili dei altissimi, obtestor te per deum, ne me torqueas, Etenim Iesu uox illi tormentum erat daemone, quia dixerat: Impure spiritus exi ab homine. Tanta erat daemone malitia, ut grauissimus esset ipsi cruciatus, si iam non liceret cruciare miserum hominem. Sentiebat autem Iesu uocem efficacem & omnipotentem, cui uolens nolens parere cogebatur. Iam mihi confer, an non similis aspectus sit in hominibus qui iam ad extremum malitiae deuenierunt, quibus uoluptati est, alij uel suo etiam malo malefacere, & si coercentur a licentia facinororum, uehementer animo discrucietur. Et cum tam malus esset daemone, audebat tamen appellare Christum dominum filium dei altissimi, ut intelligamus non omnes deo gratos, qui dicunt, Domine Domine, De hoc Matth. 8.

Et interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus. Et deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem.

Impurum spiritum dominus interrogat quod habeat nomen. Is responderet: Legio mihi nomen est &c. Agnoscis uocabulum militare, spurcam multitudinis ualeat aduersus potentiam Iesu: tam facile profligat legionem quam multitudinem. Tum dux ille daemone, qui pro omnibus loquebatur, magnopere deprecabatur Iesum, quem agnoscebat uictorem, ne se eijceret ex ea regione. Operuerat enim ipsi sit melius, pro beneficio ducit si liceat illic uiuere ubi plurima sit nocendi occasio. Quasi scelerata militum manus, urgente maiore principis potentia, & a praesidio iubente discedere, roget: Non petimus salarium, tantum liceat nobis uagari per agros, ac nostro periculo latrocinari.

B Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, pascens in agris. Et deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus. Et concessit eis statim Iesus. Et exeuntes spiritus in mundum, introierunt in porcos, & magno impetu grex praecipitatus est in mare, ad duo milia, & suffocati sunt in mari.

Quum ad daemone petitionem non responderet Iesus, Erat in propinquo &c. Agnoscis animal, ueris Iudaeis abominabile, gentibus idololatriae gratissimum. Orant igitur daemones, ut saltem in porcos liceat immigrare, & si non licet, inquit, perdere hominem, quem tu nobis eripis, liceat malitiam nostram aliquo pacto saturare immundi animantis interitu. Id facile permisit eis Iesus, cui non erat curae porcorum salus, sed hominum: docēs uel ob unitis hominis salutem caeterarum rerum quamuis grauem iacturam esse negligendam. Legio uero daemone impurorum relinquens hominem, Christi spiritu purgatum, immigrauit in gregem porcorum, qui mox magno impetu per praecipitatum montis ferebantur in stagnum, ibique suffocati perierunt. Caueant homines,

nes, ne porcorum similes inueniantur: in tales enim animos gaudent immigrare dæmones, in impuros & uentri tantummodo deditos, nulli usui, qui lutulentis tantum actibus delectantur, quibus per cultum idolorum possunt homines dominari. Nam nisi quis porci in morem uixerit, in eum diabolus potestatem non accipit, nisi forte ad probandum, non autem ad perdendum. Orant autem dæmones ingressum in porcos, & permittuntur. Est enim certamen uita hominum, unde & dæmones esse uoluit deus apud homines, ut certantes nobiscum nos probatiores demonstrent. Vnde & sicut non pepercerunt porcis, ita neque hominibus pepercissent, nisi eos diuina uirtus custodiuiisset. Vbi quoque discendum, neque in porcos habere dæmones potestatem, multo minus in homines, nisi permittat deus.

Qui autem pascebant eos, fugerunt, & nunciauerunt in ciuitatem & in agros. Et egressi sunt uidere quid esset factum, & uenerunt ad lessum, & uident illum qui à dæmonio uexabatur, sedentem, uestitum, & sanæ mentis, & timuerunt. Et narrauerunt illis, qui uiderant, qualiter factum esset ei qui dæmonium habuerat, & de porcis.

Subulci cōspecto prodigioso facto, nihil opitulati sunt porcis, sed metu territi fugerunt in uicinam ciuitatem, atque in uillas proximas, & quod uidissent omnibus nunciauerunt. Bonus ille pastor ouium succurrit periclitanti gregi. Cæterum ubi deplorati perditique gregis pastores sunt similes, & internetione perit grex, & pastores nihil aliud quam territi fugiunt. Ad hunc nuntium passim ex urbe atque agris procurrunt, auidi uidendi oculis quod auribus acciperant: nam incredibile uidebatur quod audierant à subulcis. Veniunt igitur ad Iesum, & conspiciunt illum quem omnes nouerant prius à sauiissimo dæmonio fuisse agitatam, ac præ furoris impotentia solitum omnes catenas & compedes dirumpere, uestes dilacerare, seipsum saxi concidere, prætereuntes inquietum, uestitum, & sanæ mentis. Porro qui spectaculo adfuerant, rursus ab initio narrabant illis, qui procurrerant, omnem rei gestæ historiam, de legione eiecta, de porcis demersis in lacum.

Et rogare cœperunt eum ut discederet de finibus eorum. Cumque ascenderet nauim, cœpit illum deprecari qui à dæmonio uexatus fuerat ut esset cum illo, & non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annūcia illis quanta tibi dominus fecerit, et misertus sit tui.

Cū iam ex re diligenter peruestigata fides esset facta, quod narrabatur non esse uanum, metu percussis cœperunt rogare Iesum, ut ex ipsorum finibus discederet. Gens impia & crassa non nouerat totum Iesum, potentiam uiderat, at non animaduertebat in homine restituto bonitatem, ac magis eorum animos commouebat iactura porcorum quam salus hominis. Metuebant bubus, asinis, & porcis suis, solliciti de uentre, securi de animo. Est tamen aliquod salutis initium, ut cuncti timere dei potentiam. Dominus facto docens, non esse rosas Euangelicæ sermonis obijciendas porcis, reuersus est ad littus, & nauem conscendit. Interea qui fuerat à dæmonio liberatus, uidens authorem suæ sanitatis abire, cœperat illum rogare, ut sibi liceret esse in illius comitatu. Dominus autem maluit illum habere præconem quam comitem, quod id magis expediret multorum salutem. Abi potius, inquit, in domum tuam, & ad cognatos notosque tuos, & apud

illos prædica, quanta beneficia deus in te contulerit, & quomodo misertus sit tui, quum esses omnibus miserabilis, sed ab omnibus deploratus. Ostendens ei quod licet ipse non adsit, nihilominus tamē uirtus sua & uisitatio custodiat eū, insuper ut & alios lucretur, qui ipsum uisuri essent & audituri. Vide autem quod alienus à fastu dominus. Non dixit, Annuncia quæ tibi feci, sed quæ tibi fecit dominus. Sic & tu, quando bonum quid factur us es, ne tibi ipsi sed domino factum tribuas.

Matth. 9. c
Lucæ 8. f

Et abiit, & coepit prædicare in Decapoli quanta sibi fecisset Iesus, & omnes mirabantur. Et cum transcendisset Iesus in nauim rursus transire tum, conuenit turba multa ad eum, & erat circa mare.

Ea regio decem ciuitates complectebatur, unde & Decapolis dicta. Abiit homo, Iesu iussis obtemperans, ac per omnes eas ciuitates prædicabat, & qualis fuisset, & qualis esset beneficio Iesu factus. Porro narratio fidem apud omnes inuenit, quod plerisque illius regionis hominibus antea notus fuisset, & nunc palam præ se ferret integram mentis sanitatem, à Iesu sese consequutum. Non puduit illum pristinae calamitatis, dum illustraret gloriam dei. Audi hæc idolo- latra, scortator, aleator, comessator, profusor, raptor, prædo, incendiarius, bella- tor, uenefice, sicarie, ne spem abijcias, tantum accurre ad Iesum. Noli æstimare multitudinem ac magnitudinem criminum tuorum, tantum cogita Iesum esse qui seruandis hominibus uenerit, qui nutu potest omnia. Vbi te legio damo- num reliquerit, ubi sanæ mentis factus fueris, prædica apud tuos, potissimum dei in te misericordiam. Ne te pudeat uitæ prioris. Faciet & illud ad illustranda- dam dei in te misericordiam, si quam plurimis innotuerit, quam ante fueris abo- minandus. Agnosce & cõfiteri qualis fueris, & quod nunc alius subito factus es, ne tribuas meritis tuis, sed gratuita dei misericordiam, qui miseretur quorum- cunque uult ipse, nulli debitor neque obnoxius. Hoc ueluti femine iactio Ge- rasilenos dominus Iesus rursus transmisit lacum. Subinde mutatus locus facit ad Euangelij profectum, & uarietas miraculorum admonet Euangelicum do- ctorem per omnem occasionem adniti debere, ut quoscunque potest ad salutem pertrahat. Quum igitur redditus esset diuerso littori, rursus eodem confluiti- gens hominum multitudo. Etenim quemadmodum Magnes ferrum ad se tra- hit, ita beneficentia cunctos allicit.

Et uenit quidam de archisynagogis nomine Iairus, & uidens eum procidit ad pedes eius, et deprecabatur eum multum dicens: Quoniam filia mea in extremis est, Veni, impone manum tuam super eam, ut salua sit & uiuat. Et abiit cum illo, & sequebatur eum turba multa, & com- primebant eum.

Quum uersaretur iuxta lacum, adijt quidam illum ex primoribus synago- gæ. Is excitus fama Iesu, cum reliqua multitudine eò uenerat. Erat enim, quod animum illius uehementer urgeret, & in quo Iesu præsentiam desyderaret. Cum igitur uidisset reuectum in littus, gauisus est, & ut sunt humiles, qui quid ualde desyderant, quanquam archisynagogus, hoc est inter superciliosos primas, acci- dit ad pedes Iesu, ac precatus est eum, dicens: Domine, filia mea duodecim an- nos nata, in qua præcipuum senectutis meæ solatium posui, in summo uitæ pe- riculo est, iam animam agens. Veni impone illi manum tuam, ut tuo contactu salua sit & uiuat. Iesus ex huius oratione satis intelligens, quam nondum esset solida.

solida fiducia, qui extremi periculi meminisset, quasi non potuisset & mortuam excitare, qui presentiam ac manus etiam contactum requirat, quasi non posset & absens & nutu sanare quos uellet. Iesus promittit se uenturum, & festinatem sequitur, formam interim exhibens, quam oporteat pastorem omnibus & Graecis & Barbaris, claris & obscuris, pauperibus ac diuitibus, doctis & indoctis expositum esse, ad animae salutem procurandam.

Et mulier quae erat in profluuio sanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpeffa à compluribus medicis, & erogauerat omnia sua, nec quicquam profecerat, sed magis deterius habebat: cum audisset de Iesu, uenit in turba retro, & tetigit uestimentum eius: dicebat enim, Quia si uel uestimentum eius tetigero, salua ero. Et statim siccatus est fons sanguinis eius, & sensit corpore quia sanata esset à plaga.

Inter eundem offertur occasio, per quam archisynagogi corrigat imperfectam fiduciam, id est exemplo mulierculae, quae quo minus nouerat ex legis cognitione Christum, hoc excusabilior fuisset diffidentia. Etenim Iesum euntem ad aedes archisynagogi, densissima hominum turba comitabatur, partim quia non poterat diuelli à Iesu, partim quo spectatores fierent rei gerendae, & rogantis nobilitas acuebat spectandi desiderium. Itaque dum quisque uult esse proximum Iesu, afflictabatur à turba premente. In hac erat mulier, quae foedum ac purdendum iuxta & immedicabilem morbum habebat iam annis duodecim, nempe sanguinis profluuium: hoc etiam infelicio, quod dum in medicis magnifice pollicentibus spem salutis constituit, & ab uno frustrata ad alium certiorans confugit, rursus ab hoc ad alium, semperque blanda spe lactatur, omnes facultates suas in eos impederat, & adeo nihil opis attulerat medicorum ars, ut mulier etiam deterius haberet quam si medicis non fuisset usa, qui nihil addiderant profluuio sanguinis paupertatem. Tale nimirum est uulgus profitentium humanam medicinam, sed plerumque fit, ut salus sit non sperare salutem. Posteaquam coepit diffidere medicis, & illi tum demum pronunciaissent nullam esse spem, posteaquam intelligerent nihil esse quod daretur, coepit esse salutis uisidia. Audierat mulier tantum de Iesu, & ilico concepta de illo admirabili fiducia miscet sese confertae multitudini. Sexus pudor & morbi foeditas obstabat quo minus faceret quod fecerat archisynagogus, sed accessit à tergo, atque tantam eluctata per collidentium sese globos hominum, contigit uestem Iesu: tantis enim spem de illo conceperat, ut diceret apud sese, Si liceat uel simbriam uegna mercede uexata, liberabor à morbo. Destituta à medicis, à quibus fuerat manens saltem, repererat alium medicum, qui gratis & subito ferret plenam salutem. Nec se fellit mulierem sua fiducia, simul ut tetigerat uestem domini fonte solitus est emanare. Quin & ipsa sensit toto corpore redisse uigorem, quem habuerat antequam hoc morbo coepisset laborare. Qui luxui, qui uoluptatibus, qui delitijs huius mundi euirati sunt, non aliud confugiant quam ad Iesum. Si fidant philosophis, si legum peritis, si magicis artibus, si ceremonijs pharisaeis, ubi in his & aetatem & ingenij uires consumpserint, nihil aliud quam morbum auxerint, & paupertatem lucrifecerunt, nisi forte leuis est paupertas, etatis et ingenij iactura. Gaudebat mulier hoc beneficium ueluti suffurata à Christo;

quem ut hominem sperabat falli posse, aut si non falleretur, sperabat pro sua bonitate pudori sexus indulturum.

Et statim Iesus in semetipso cognoscens uirtutem quæ exierat de illo, conuersus ad turbam aiebat: Quis tetigit uestimenta mea? Et dicebant ei discipuli sui: Vides turbam comprimentem te, et dicis, Quis me tetigit?

Domini magis consulens gloriæ dei, multorumque saluti, quam unius muliebri pudori, non ignarus se fuisse contactum, neque non sentiens sanitatis beneficium ex eo contactu peruenisse ad mulierem, uersus ad multitudinem à tergo prementem, ait: Quis attigit uestimenta mea? Porro discipuli nihil suspicantes eius quod acciderat, respondent domino: Vides turbam undique prementem te, & rogas, quis te contigerit? Qui legunt Euangelium, contingunt Christum, qui mensam domini celebrant, & sumunt corpus sacrum, contingunt Christum, at non sanantur omnes qui contingunt. Sola mulier quæ cum ingenti fiducia contigerat sanata est. Iesus autem pro suo beneficio nihil aliud præmij flagitat, nisi confessionem malæ, & agnitionem clementiæ diuinæ.

D Et circumspiciebat uidere eam quæ hoc fecerat. Mulier autem timens & tremens, sciens quod factum esset in se, uenit & procidit ante eum, & dixit ei omnem ueritatem. Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te saluam fecit, uade in pace, & esto sana à plaga tua.

Quum mulier pudore obticesceret, sperans se posse latere, Iesus circumspiciebat oculos in turbam, quasi noscitare studens mulierem quæ se contigisset. Hic circumspectus erat ciuilitate exigentis accepti beneficii confessionem. Non lebat eam prodere, ne uideretur exprobrare beneficium. Mulier pudore intus non silebat, non ingratiuitatis uitio. Adhibitus est stimulus, qui pudorem intus excuteret, salubrem eliceret confessionem: quid enim non potest intuitus Iesu? Sic intuitus est Petrum, & respuit. Mulier autem sibi conscia qualis uentisset ad Iesum, & quid ab eo beneficii adeptæ esset, non ausa est dissimulare, sed excussa muliebri uerecundia prodijt in conspectum Iesu, timens ac tremens, metuebat enim obiurgationem improbitatis suæ. Accidit ad genua, & rem ut habebat omnibus audientibus enarrabat, nihil dissimulans, nihil fucis obnubilans, de morbo diuturno, de medicorum arte frustrata, de furtiuo uestis contactu, de concepta fiducia. Huiusmodi confessionem amat dominus Iesus, quæ facit, ut & peccator agnoscat seipsum, & sanitatis restituta gloriæ deo tribuat, & multos ad similem fiduciam excitet, admonens ab uno Iesu proficisci gratuitam salutem, nec referre quot aut qualibus uitijs laboraueris, sed quantum de domini uel potentia uel bonitate confisus sis. Si clancularius est morbus animi, tum confitere Iesu, qui non prodit, qui non exprobrat, sed sanatus est, confitere palam: ut quemadmodum exemplo tuo multos ad peccandum pellexeras, ita conuersus multos item excites ad meliorem frugem. Excuties pudus est pudor, qui & deo suam inuidet gloriæ, & proximo salutem. Gaudes excussisse, posteaquam senseris ex humili ad deum confessione, & fide in misericordiam dei per Christum, conscientia maiorem tranquillitatem, uelut a uide ris à domino Iesu quod audiuit mulier. Quid autem audiuit? Filia, tua de me fiducia restituit te sanitati, quam medicorum ars tibi dare non potuit. Abi leuò tranquilloque animo, uolo beneficium hoc tibi perpetuum esse. Vides ne uidebis ne hæc archisynagoge? Tibi enim tuique similibus agitur hæc fabula. Mulier in medicabili morbo laborabat, profecerat in peius, ob insignem de Iesu fiduciam solo

Fidei uirtus.

Confessio

solo uestis contactu sanata est, & tu ceu medicum domum accerfis, iubes imponat manum, & celeritatem exigis?

Adhuc eo loquente ueniunt nunciū ab archisynagogo, dicētes: Quia filia tua mortua est, quid ultra uexas magistrum? Iesus autē audito uerbo quod dicebatur, ait archisynagogo: Noli timere, tantūmodo crede.

Dum mulieri respondet Iesus, superueniunt nunciū ab archisynagogi domo, dicentes: Filia tua defuncta est, quid pergis frustra uexare magistrum? His dictis archisynagogus qui prius ancipitem ac multo metu mixtam spem habebat, ueluti desperans, non audet amplius rogare dominum. Nunciū iubent desperare, dicentes: Quia mortua est. Sic plerique homines solent de his qui in facinorosum aliquod ingens prolapsi sunt, uelut in adulterium, incestum, furtum, aut homicidium per desperationem dicere, Cōclamatū est, nulla salutis spes est: Iesus autem non patitur quenquam in desperationem uenire, nisi qui recusat Iudæorum est desperare, Christianus cui nota est domini bonitas, par eius potestati, nunquam desperat. Collabentem itaque spem archisynagogi blando alloquio subleuat dominus dicendo: Noli metuere, etiam si mortua est, tantūmodo confide. Non refert quantum sit malum puellæ, sed quā firma sit tua fiducia. Hæc locutus uenit ad ædes archisynagogi, ingressus est, sed foris relicta promiscua multitudine, ne discipulis quidem admittis præter Simonem, Petrum, Iacobum, & Ioannem fratrem Iacobi.

Et non admisit quenquam sequi se, nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem Iacobi. Et ueniunt in domum archisynagogi, & uidit turbam, & flentes, & eiulantes multum. Et ingressus ait illis: Quid turbamini & ploratis? puella non est mortua, sed dormit.

Ingressus his comitibus domum archisynagogi illic comperit ambitiosum funeris strepitum multitudinem cognatorum & cognatarū miserabili lamentatione deplorantem mortem præmaturā puellæ. Solet enim uulgus hominum acerbius ferre mortem iuuenum quā senum, quum nihil sit optabilius quā tum mori quum dulcissimum est uiuere, priusquam animus multis huius uitæ malis contaminatus est. Non enim refert quamdiu uixeris, sed quā bene. Iesus itaque docens non esse deploranda funera inanibus nenijs, compescit tumultum lugentium. Quid, inquit, ita tumultu completis domum & ploratis? puella non est mortua, sed dormit. Nimirum domino dormiebat, qui uerbo poterat expergescere multo facilius quā homo hominem excitat à somno. Et omnino somnus imago quædā est & meditatio mortis. Somnus enim cōsopit animi uires, ac sensum adimit, qui si perpetuus esset, uera mors esset.

Et irridebant eum. Ipse uero eiectis omnibus assumit patrem & matrem puellæ, & qui secum erant, & ingrediuntur ubi puella erat iacens. Et tenēs manum puellæ, ait illi: Talitha cumi, quod est interpretatum: Puella, surge.

Qui astiterāt puellæ morienti, non intelligentes quid sibi uellet hic Iesu sermo, deridebant eum, qui crederet eam adhuc uiuere, quā constabat expirasse. Hos omnes abigit Iesus, qui tumultuoso ploratu sed inani complebant domum, & non solum nihil adferabant salutis extinctæ, uerum etiam & dolorem parentum exacerbabant, & Iesum salutis authorem irridebant. Nihil opus tali turba, ubi peccato mortuus animus ad innocentia uitam est reuocandus. Fe-

cit hoc tum Iesus in ædibus priuatis & alienis. Quid autē faceret si uideret quorundam usque ad insaniam ambitiosa funera? Conducuntur qui sicte plorant, qui cieant eiulatus, qui lanient capillos nonnunquam apposititios, qui percutiunt pectus, qui uulnerent genas, qui uerba iactent plusquam insana ac diffidentia plena. Admouent cadaueri lac, ut proluciant oberrantem animam. Inclamant nomine iterum atque iterum: Redi fili, reuertere fili &c. Obiurgant exanime cadauer: Cur tuos deseruisti? cur nos luctu uoluisti occidere? Nihil tibi deerat ad suauiter uiuendum, non opes, non generis claritas, non honores, non forma, non ætas. O te crudelem, o nos miseros. Iam adde tubas surdo canentes, adde cantores, qui lugubres nenas frustra canant mortuo non sentienti, qui uiuis dolorem non eximant, sed augeant &c. Ne commemorem epulas, & sacra parentalia, superbas sumptuosasque monumentorum structuras, quasi parum ethnicæ ambitionis & luxus in uita, nisi tales se declarent & mortui. Hæc quum ethnicis etiam paulò cordatioribus uideantur insana, quanto longius oportet abesse à Christianorum moribus? qui omnes obdormiscunt potius quam moriuntur, ad tubam angelicam expectaturi in die nouissimo. Ergo ut ad narrationem gradinem redeam, eiectionis his omnibus, Iesus adhibitis utrisque puellæ parentibus, ingressus est conclaue, ubi corpus iacebat exanime; hos enim uoluit esse miraculi testes. Hic dominus arrepta manu puellæ, ait illi, uelut excitaturus à somno Thalita kumi, quod Syrorum lingua sonat: Puella surge. Qui profundo somno premuntur nonnunquam expergefieri non possunt, etiam si semel atque iterum inclames ac uellices, nec statim uigilant excitati, sed diu semisomnes, oscitant, & nisi inopes relabuntur in somnum. Hæc mortua confestim ad uocem uocantis Iesu surrexit et ambulauit, non solum rediuiuata, sed et alacris. Agnouit enim animula, quæ pulsa morbo corpus reliquerat, uocem conditoris sui, & nihil cæcitate reuerfa est in domicilium unde demigrarat.

Et confestim surrexit puella, & ambulabat, erat autem annorum duodecim. Et obstupuerunt stupore magno. Et præcepit illis uehementer ut nemo id sciret: & iussit dare illi manducare.

Quo mors fuerat flebilior ob teneram puellæ ætatem, neque enim mater erat duodecim annis, hoc uberius erat gaudiū de resuscitata. Huius spectaculi nouitas ingenti stupore affecit patrem et matrem puellæ. Iesus autē nec præmium ab illis exigens, nec gratiarum actionem, tantum mandat illis, ut quo certior esset reddita mortuæ uita, darent illi cibum; nam edere non solum uitæ ueritatem prosperæ ualeitudinis indicium est. Præcipit & illud, ne quod paucis testibus ac priuatim gestum esset, efferrēt in uulgus; siue quod malebat id quod acceperat, per alios quos eiecerat euulgari quam per archisynagogum, qui maiore re inuidia sed minore fide præco fuisset dominici beneficii; siue quod præcipiens sileri, quod sciebat eos non tacituros, nos docere uoluit in omnibus beneficiis fugiendam esse gloriam humanam. Dominus autem Iesus, quum à Gerazæ inuida synagoga conata est obruere gloriam domini Iesu, quæ post etiam caelis apostolis denunciauit, ne nominis Iesu facerent mentionem. Verum nihil prope fecit horum inuidia: quo magis illi contenderunt salutiferum Iesu nomen opprimere, hoc latius prædicatur inter gentes. Silent sacerdotes, reclamant pharisæi, conuittantur scribæ, deridet Herodes; sed laudant idololatras, raptores, inces.

inceſti, adulteri, per Euangelij gratiam à priſtinis uitijſ uelut à ſauiffimis dæ-
monijſ ſubito liberati.

CAPVT VI.

ET egreſſus inde, abiit in patriam ſuam, & ſequebantur eum diſ-
cipuli ſui.

Quocunq; locorum quacunq; ocaſione ſeſe confert aut recipit
dominus Ieſus, ubiq; ſui ſimilis eſt, ſalutem adfert, ut interim comites
diſcipulos admoneat, nuſquã eſſe ceſſandum ab Euangelico negotio, ſed ſem-
per hoc per omnem ocaſionem agendum, ut ex malis reddamus bonos, ex bo-
nis meliores, ſiue domi cõtingat uiuere ſiue peregre, ſiue in publico ſiue in pri-
uato. Quum & in nauibus & in uehiculis, in familiaribus colloquijs, in conui-
uijs deniq; et in iocis ac luſibus, qui uere præditus eſt Euangelica bonitate, ſem-
per aliquos dimittit meliores. Ieſus igitur qui Geraſenos adire tẽtarat, ne uide-
retur in alienos propenſior q̃ in ſuos, relictis locis lacu uicinis recipit ſe in pa-
triam ſuam: nam hunc nominis honorem promeruit Nazareth, quod illic do-
minus fuerit enutritus, diuq; uerſatus. Comitati ſunt illum diſcipuli, iam aſſe-
ctatores perpetui.

Et factõ ſabbato cõepit in ſynagoga docere: & multi audientes ad-
mirabantur in doctrina eius, dicentes: Vnde huic hæc omnia: & quæ
eſt ſapientia quæ data eſt illi, & uirtutes tales quæ per manus eius effici-
untur: Nonne hic eſt faber filius Mariæ, frater Iacobi & Ioseph & Iudæ
& Simonis: Nonne & ſorores eius hic nobiſcum ſunt? Et ſcandaliza-
bantur in illo.

Cum adueniſſet dies ſabbati, quo ex laudatiſſimo more Iudæi conſueuerũt
conuenire, non ut ineptis ſpectaculis, aut inanibus fabulis, aut prophanis luſi-
bus, aut ſuperuacaneis cantuunculis ſacrum tempus fallerẽt, hoc eſt perderẽt,
ſed religioſa confabulatione legem domini uel diſcerent uel docerent. Ingreſ-
ſus eſt Ieſus, exemplum hoc ſuis commendaturus, ut omnes intelligerẽt, quã
indecorum nobis eſſet futurum, quum Iudæis tanto ſtudio fuerit, carnalem le-
gem non perpetuo duraturum, & à Moſe proditam perdiſcere, ſi non pari uel at-
tentiore cura philoſophiam Euangelicam ab ipſo dei filio traditam ſtudeamus
cognoscere. Quum igitur doceret in ſynagoga Ieſus, apud multos hoc ipſum
elevauit eius autoritatem, quod iuxta carnem notus eſſet. Nouerant tenues
parentes, & humilem domum, unde prodierat: de patre cõeleſti, deq; domo æ-
terna, unde noſtra cauſa descenderat, ne per ſomnium quidẽ aliquid ſuſpica-
bantur. Nouerant artem paternam, qua Ioseph familiam alebat, quam primis
annis & ipſe Ieſus exercuerat. Erat autẽ faber lignarius, opificio uidelicet con-
gruente ei per quem pater cõeleſtis mundum hunc uniuerſum fuerat olim fa-
bricatus. Per fabrum cõditum eſt genus humanum, per fabrum decuit & reſti-
tutum. Proinde quibus notus erat dominus Ieſus, qui uſq; ad annum ferme trige-
ſimum uixerat apud ſuos, nihil præ ſe ferens phariſaicæ doctrinæ, cum audie-
rent eum magna cum autoritate docentem, quæ nunquam audierant à doctis-
ſimis phariſæis, uehementer admirati ſunt, dicentes inter ſe: Vnde hic ſubito fa-
ctus eſt alius? unde huic hæc omnia? Et quod eſt hoc nouum ſapientiæ genus
quæ data eſt illi: & unde tam præſens uis in ædendis miraculis, quantam nec in
ullo prophetarum audiuiſmus fuiſſe? Quum paucis menſibus abſuerit, quomo-
E

Matth. 13. 2

Luce 4. c

Ioan. 4. f

do repente mutatus nobis redijt? An non hic est Iesus ille faber, & fabri Ioseph Mariæq; tenuis & humilis mulierculæ filius? Nonne & hunc nouimus, & totâ illius cognationem? An non hic apud nos uiuunt illi proxima cognatione iuncti fratres & sorores? Itaq; subinuidebant Iesu, nuper humili cognito nunc repente sublimi. Siquidem scandalo fuit illis nimium nota carnalis imbecillitas. Quanquam autem non ignoraret se contemptû iri apud suos, ascendit tamen in patriam, & reprehendebat inuidiam illorum mentem. Oportebat sane magis gloriari eos de domino, qui suâ patriam ita ornaret doctrina & miraculis. Tam autē atrox est malum inuidia, quæ semper obscurat bona, producit humilia.

Et dicebat illis Iesus: Quia non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua. Et non poterat ibi uirtutem ullâ facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit: & mirabatur propter incredulitatem illorum,

Quum huiusmodi gentilium suorum scandalû dominus intellexisset, ait: Nusquam propheta cõtemprior est, quàm in patria sua, & inter affines suos ac domesticos. Male conuenit spirituali negotio cum carnis affectibus. Nec omnino decet prophetam uere Euangelicum qui docet huius mundi contemptum, qui promittit gaudia cœlestis patriæ, qui docet renascendû esse per baptismum in Christo Iesu, qui docet mortificanda membra quæ sunt super terram, ut spiritu uiuamus in cœlis, hic nosse patriam, domum, notos, aut cognatos, aut amicos. Nec mirum si terreni ciues non agnoscunt alterius patriæ iam factum municipem. Itaq; Iesus quum esset omnipotens, & cuperet seruire quàm plurimos, non potuit illic apud suos ædere multa miracula, nimirum obstante notorum & cognatorû incredulitate. Quum enim apud alios genus omne morborum à plurimis facile profligasset, dæmonia eiecisset, leprosos sanasset, hic patiens eos dumtaxat ægros restituit, idq; manibus impositis. Iesus igitur uelut admirans suorum tantam incredulitatem, discessit illinc, obambulans per uicos undiq; uicinos, ubiq; spargens semen Euangelicum. Hoc quod sui ciues repulerant, id gentes uicinæ auide suscipiebant. Parcit autem eis non faciendogna, ne illis cederent ad maiorem damnationem. Sed & in uirtutum operacionibus opus est eius qui facit uirtute, & eius qui suscipit fide. Quia autem hic defuit alterum, quippe sanandorum fides, ideo non potuit Iesus illic signâ facere, &

B & circumibat castella in circumitu, docens. Et uocauit duodecim discipulorum, & cepit eos mittere binos, & dabat illis potestatem spirituum immundorum.

Matth. 10. 4
Luce 9. 4

Hoc facto submonebantur discipuli, ne in Euangelico negotio fiderent affectibus humanis. Nam quod Iesu uenit usu in patria ipsius, hoc illis erat euenturum in Iudæa. Sed eò se conferrent ubicunq; uiderent spem copiosi prouentus. Illic autē est fructus uberrimus Euangelicæ prædicationis, ubicunq; prouentus est credulitas. Ea nec est inter cognatos, nec inter pharisæos, nec apud reges. Contemnunt cognati, pharisæi inuident, reges irident stultitiam crucis. Iam autē tempus erat, ut apostoli quos Euangelicæ functioni destinaret, tamquam aliquandiu assidui comites fuerant Iesu, præluderent suo muneri, duciq; suocimen aliquod darent industriæ fideiq; suæ. Accersit igitur ad se duodecim discipulos quos ad hoc munus ut præstantissimos selegerat, simulq; collectos suos eodem instruit sermone, ne quid inter sese discreparent, ab eodem præcepto missi, & iisdem mandatis astricti. Quoq; maior esset fructus, emisit illos binos, &

per iugum admonens nos fraternæ charitatis, sine qua nullus est Euangelij fructus, ac ueluti præfectis quibusdam, suam cuiq; pari prouintiam designabat: nam id expediebat propagando regno Euangelico. Emisit autem inermes ac nudos, ne quid hic in cœlesti negotio sibi uindicarent mundana præsidia. Porro ne leuis esset piscatorum & idiotarum autoritas, addidit illis quod huius mundi monarchæ suis legatis ac præfectis dare non possunt. Tradidit enim illis potestatem tollendi morbos, eijciendi dæmones. Quid simile potest Cæsar? Vim auri, copias, secures, machinas dare potest, quibus abūdat ipse: cæterum nullus Cæsaris præfectus tantam habet potentiam, ut uel oculis lippis inuocato Cæsaris nomine mederi queat. Et hanc ipsam potestatem sic impartijt suis, ut ea gratis opitularentur omnibus quibus esset opus.

Et præcepit eis ne quid tollerent in uia nisi uirgam tantum, non pereram, non panem, neq; in zona æs, sed calceatos sandalijs, & ne induerentur duabus tunicis.

Quo forent expeditiores ad munus quod strenuum minimeq; cessantem aut armorū secum flagitat, præcepit eis, ne quid impedimentorum commeatus ram reponendo afferrent in hac profectioe præter uirgam tantum, non peram potest, neq; zonas ære onustas, neq; tibias munitæ ocreis, sed dumtaxat sandalijs plantas pedum aduersus saxorum aut ueprium iniuriam defenderent, simpliciq; ueste contenti essent. Hæc instructio Iesu eò tendebat, ut rudibus ad huc discipulis crassa quadam ratione inculcaret, eum qui suscipit functionem Euangelicam, oportere uacuum et expeditum esse ab omni sollicitudine rerum corporalium, ne quid interueniat quod profectum doctrinæ cœlestis remoueat. Vt negotium erat longe diuersum à negotijs huius mūdi, ita legationis est noua species. Accipiunt doctrinæ formam, ne quid audeant docere quod à præceptore traditum non esset. Habebant hoc cum humanis legationibus commune, in quibus capitale est præterire præscriptum mandatorum. Ab uno mittuntur omnes pari potestate, ne qua nasceretur inter eos æmulatio. Binī mittuntur, ut fraternæ concordia meminiissent, & frater fratrem subleuaret. Ad diuersa mittuntur loca, quo latius pateret Euangelij fructus. Additur potestas medendi morbis, sed in nomine Iesu: ut quemadmodum alienam doctrinam susceperant bona fide dispensandam, ita scirent esse domini uirritem, nō ipsorum quæ ne morbos propellerent. Vt uerū ne peram circumferrēt, ne panem, ne pecuniam, ne binas tunicas, ut tota fiducia penderent à promissione præceptoris sui, huius præsidio considerent se tutos fore aduersus omnem uolentiam aduersario corporis necessitatem attineret. Porro cum uoluptati nihil sit satis, necessitati naturæ minimo satisfit. Nec enim dominus hoc animo loquutus est ista, quasi fas non esset unquam futurum, eos qui tractant rem Euangelicam aliquid necessariæ sarcinulæ aut pecuniæ secum ferre, quum id non uereantur & hodie apostoli facere: imò fortassis plus laudis mereatur, si quis suo sumptu doceret Euangelij. Sed hoc genus hyperboles uoluit suis crassis adhuc & rudibus pernitus eximere, sollicitudinem earum rerum quæ solent remorari animum cœlesti quippiam molientem. Alioqui sciebat illis in mentem uenturum: Mittis nos ad regiones ignotas, exponis nos nudos & inermes uarijs periculis, sed quis pascet si fames? quis defendet, si qua uis? quis uestiet, si rigor inciderit? Vis nos

docere gratis, & uis sanare gratis. At multis rebus eget qui uiuit peregre. Hac sollicitudinem anxiam ac sordidam, quoniam plerumque ex diffidentia nascitur, Iesus studuit ex animis suorū euellere, ut talis negotij magnitudine indignam. Porro sermonis tropus ad hoc ualet, ut altius infideat animis rudibus quod traditur. Neque enim peccaret, si doctor Euangelicus apud Getas uteretur calceis, aut duabus tunicis, aut si ad Libycas harenas, aut inhospitalem gentem profecturus, commeatus atque etiam pecuniæ nonnihil secum ferret. Sed quicquid remoratur Euangelij profectum, reiiciendum est. Iam mihi cogita, quanta sarcina grauati proficiscantur ad Euangelicum negotium, qui regales opes circumferunt, qui dignitates, qui uoluptates huius mundi, qui uindicandi libidinem si quid occurrat molesti secum portant. In animo sarcina potius est quam in pedibus uel uestibus. Has omnes sarcinas qui non abiecerit, non est idoneus legatus Iesu Christi. Idem tropus est in his quæ permittit; permittit enim uirgā & sandalium. Leuissimum enim calciamenti genus est sandalium, & pedes defendit ab iniuria, ut non impediatur celeritas. Idem itaque monet, qui permittit sandalia & qui uetat uti calceis; prohibet enim cessationem, & hortatur ad celeritatem. Rursum idem monet, qui permittit uirgam, & qui adimit baculum. Etenim uirga subleuat ambulante, nec remoratur iter, sed promouet. Baculus autem ut onerat, ita aduersus uim gestari solet. Itaque qui concedit uirgam, ac præ præsidio securum esse aduersus malorum insultus quam præsidio Christi. Uirga uia- tori conuenit, baculus pugnaci.

Acto. 13. 2

Et dicebat eis: Quocumque introieritis in domum, illic manete donec exeatis inde: & quicumque non receperit uos, nec audierint, exeuntes inde, excutite puluerem de pedibus uestris in testimonium illis.

Qui tractat rem Euangelicam semper progredi debet ad perfectiora, ab ulciscendi studio debet quam longissime abesse. Hac igitur sollicitudine reuulsa ex animis apostolorum, pergit illis monstrare rationem qua futurum esset ut nihil esset necesse talium rerum cura torqueri. Ne sitis, inquit, solliciti neque de diuersorio neque de cibo. Sed ingressi uicum uel ciuitatem, quæcumque domus Euangelij profectu uisum fuerit inde decedere. Pauci & paruo contenti, non eritis cuiquam graues hospites. Vix fieri poterit, ut usquam sit tam deplorata ciuitas, in qua nullus reperiatur, qui tales hospites non sit cupide recepturus, quum sint qui medicum magno conducant, & longinquo accersant. Quod si domus aut ciuitas contigerit tam ingrata, ut uos ultrò deferentes coeleste munus, quum sanentur & corpora & animi, non recipiant, nolite ob paucorum duriciem desistere à suscepto negotio, sed ad tempus relicta ea ciuitate pergite ad alias, uerum exprobrata prius sua dementia istis qui uos noluerant recipere. Exeuntes enim in plateas, excutite puluerem pedibus uestris hærentem, ut meminerint & intelligant, uenisse qui gratis salutem obtulissent, nunciumque multo omnium latissimum, nec tantum bonum ullo præmio pensari posse, nec inuito cuiquam aut fastidioso mercem tam pretiosam obtudendam esse: sibi imputent exitium suum, qui perire maluerint quum licuerit sanari. Vos nihil aliud uenatos esse apud illos, nisi salutem proximorum, ut ne pulueris quidem iactura uolueritis illos afficere. Hac superbia decet meos legatos aduersus contumaces & fastidiosos. Vnum autem illud illis abeuntes uel nolentibus ingerite, dicentes: Scitote iam

iam adesse regnum dei, siue recipitis siue non recipitis: si recipitis, uestro bono uenit, si non recipitis, magno uestro malo tamen uenturum est.

Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent: & demonia multa eijciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabantur.

Hoc uaticinio instructi legati Iesu reliquerunt dominum suum, ac sicut erant iussi prouocabant omnes ad pœnitentiam uitæ superioris: iam enim adesse regnum dei, quod per fidem Euangelicam adferret omnibus perfectam iustitiam. Nam id Euangelicæ prædicationis & caput est & initium, credere quod audis uerbum dei, & fidere promissis. His atq; huiusmodi multis sermonibus quum diligenter instruxisset suos dominus Iesus, prouecti sunt duodecim regni cœlorum proceres, & successit res: denunciabant omnibus ut pœnitentiam agerent ante actorum malorum, neq; quisquam fideret suis factis, sed tantum promissis Euangelicis. Et inuenerunt qui prædicationem pronis acciperent auribus: nec defuit miraculorum parata uis, quæ fidem conciliaret dictis hominum, quamlibet humilium & ignotorum. Ungebant oleo ægros, & sanabantur. Iubebant in nomine Iesu exire spiritus noxios, & exibant. Non erat illud oleum pharmaceuticum: quis enim eodem pharmaco medetur morbis omnibus: sed sacramentum, gratiæ per unctum nostrum Iesum erat inungendum animis, mox à morbis uitiorum sanandis. Ita nec magorum erant preces, quibus exigebant dæmones, sed uerba erant Euangelica fide efficacia. Nimirum hæc erat uis regni cœlestis. Quid humiliter quid contemptius apostolis? Sed quo minus erat illis roboris, hoc magis liquebat uirtutis esse diuinæ quod agebatur. Nec opes habebant nec literas, nec magistratum nec satellitium, nec generis claritatem nec famam nec auctoritatem. Nihil habebant nisi simplicem fiduciam erga nondum satis cognitum Iesum.

Et audiuit rex Herodes (manifestum enim factum est nomen eius) & dicebat: Quia Ioannes Baptista surrexit à mortuis: & propterea uirtutes operantur in illo. Alij autem dicebant: Quia Elias est. Alij uero dicebant: Quia propheta est, quasi unus ex prophetis.

His rebus indies magis ac magis inclariscebant fama Iesu, adeo ut nomen eius innotesceret etiam Herodi regi. Iesus enim serius innotescit regibus, quibus oportuit maxime, nec ullis infelicis. Quonia autem Iesu miracula tam essent crebra tamq; euidentia, ut nemo posset causari commentitia, tam salutiferas sententias proferrent de domino, tandem & suam deprompsit Herodes. Ioannes, inquit, surrexit à mortuis, & ob hoc nunc pollet ædendis miraculis. Rursus alij sumpta coniectura ex uaticinio Malachiæ, dicebant Iesum esse Eliam, cuius reditus promittitur ante diem domini magnum et horribilem. Erant qui negarent eum esse Eliam, cuius apud Iudæos summa erat auctoritas, sed unum quempiam ex mediocribus prophetis qui reuixisset.

Quo audito Herodes ait: Quem ego decollauit Ioannem, hic à mortuis reuixit.

Illorum sententijs auditis Herodes perstitit in sua, dicens: Imò hic est ipse Ioannes, quem ego decollauit, is reuixit, ac iam diuus factus operatur humanis uirtutibus superiora. Nullus erat horum qui non crederet reuiuiscere corpora. Et hodie tamen multi sunt, qui negant reuixisse Christum. Atq; hic ut intelligas

Matt. 14.4

Lucæ 9.4

C Matt. 14.4

Lucæ 3.4

quàm sint impiorum præpostera iudicia, Ioannē qui nullis miraculis inclaruerat, credunt retrixisse. Quinetiam regum impiorum stoliditatem consideranda, fatetur Herodes Ioannem reuixisse, fatetur illum nunc demū plus ualere quàm ualuerat uiuus, & tamen propemodum iactat quod illum occiderit, paratus illum & rursus occidere, si licuisset. Tanti facinoris occasionem audire est operæpretium.

Ipse enim Herodes misit ac tenuit Ioannem, & uinxit eum in carcerem propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. Dicebat enim Ioannes Herodi: Nō licet tibi habere uxorem fratris tui. Herodias autem insidiabatur illi, & uolebat eum occidere, nec poterat.

Herodes incestæ mulieris instinctu iussit apprehendi Ioannem, ac detruendi in uincula, non ob ullum crimen, sed propter Herodiadem Arete regis filiam, quæ cum prius esset locata Philippo Tetrarchæ Itureæ & Trachonitidis, orta simultate abduxit à genero, cui iam pepererat filiam, & huic Herodi fratri Philippi sed inimico matrimonio iunxit. Ioannes autem quo magis Eliam referret qui magna libertate reprehendit Achab & Iezabelam, non tulit incestum coniugium, dixitq; regi: Non est fas te domi habere coniugem fratris tui, nec sterilis, uel adhuc supersutis. Herodias autem quæ iam exciderat à priori matrimonio, metuens ne Ioannis opera ab hoc quoq; excluderetur, insidiabatur ei, captans occasionem occidendi eum, nec succedebat.

Herodes autem metuebat Ioannem, sciens eum uirum iustum et sanctum, & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.

Herodes tametsi non amabat ex animo Ioannem, tamen uerebatur & metuebat eum. Ea uis est ueræ uirtutis, ut etiam regibus sit formidabilis. Sciebat enim illum uirum iustum & sanctum, & obseruabat eum, multisq; in rebus illius consilio obtemperabat, ac libenter eum audiebat. Hæc obstant quo minus impia mulier posset Ioannem extinguere. Aderat malus animus, sed deerat occasio, quæ tantum deest malis ut ledāt, quum iam apud deum impleta est malignitas ad pœnam.

Et cum dies oportunus accidisset, Herodes natalis suæ cenam fecit principibus & tribunis & primis Galilææ. Cumq; introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi simulq; recumbentibus, rex ait puellæ: Pete à me quod uis, & dabo tibi, et iurauit illi, Quia quicquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei.

Dies natalitius Herodis ad impium facinus idoneus aduenit. Decuit enim impij regis natalem sanctissimi uiri morte funestari, mediumq; luxum ac delicias aulicas crudeli morte innocentis inquinari. Quum igitur magno luxu festiuitate instructa cœna natalitia exhiberetur principibus tribunis ac primatibus Galilææ, quo plures haberet suæ crudelitatis testes, ingressa est conuiuium puella Herodiadis ac Philippi filia, ut indecora lasciuiaq; saltatione delectaret conuiuias. Quo turpius saltabat, hoc magis placuit cōuiuiis ac regi iam bis infans, ut qui præter amorem incestæ mulieris, etiam uino incaluerat. Itaq; regali magnificentia dixit puellæ: Posce à me quicquid uoles: nihil enim frustra posceris. Quoq; maiorem fiduciam adderet puellæ petendi quicquid collibuisse, temulentum promissum iureiurando confirmauit: Quicquid petieris, dabo tibi.

dimidium regni mei petieris dabo tibi. O uocem stultissimo ac temulento rege dignam.

Quæ cum exisset, dixit matri suæ: Quid petam? At illa dixit: Caput D
Ioannis Baptistæ. Cumq̄ introisset statim cum festinatione ad regem,
petiuit, dicens: Volo ut protinus des mihi in disco caput Ioannis Ba-
pistæ.

Puella quemadmodum hanc fabulam matris instinctu cœperat agere: nam illa diem, locum & horam obseruabat, illa saltatriculam instruxerat, non audebat illico pronunciare quid peteret, sed egressa è conuiuio consuluit matrē, dicens: Iureiurando rex confirmauit se daturum quicquid petero. Quid igitur petā? Hic merito locus erat hæsitandi, ne tanta periret oportunitas. At incesta mulier nihil contata, neq̄ quicquam charius habens morte sanctissimi uiri, respondit: Pete caput Ioannis Baptistæ. Et ò docilem ad flagitium ac morigerā filiam, illico reuersa est in conclauē. Submonuit & hoc mater ut properaret, priusquā ille feruor animi regij refrigeresceret. Adit itaq̄ regē, & incestæ saltationis præmium poscit, dicens: Vnicū dumtaxat missum peto, Volo ut protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ. Hic mihi uide præposteram regis impij religionem. Quum nihil sit illis familiarius, quā omnium fœderū & religionum uincula dirumpere. Hic irreligiosa religione stultissimi iurisiurandi cōstrictus est, præsertim quod rex testibus prodidisset.

Et contristatus est rex. Propter iurandū & propter simul recumbentes noluit eam contristare, sed missō spiculatore præcepit afferri caput eius in disco: & decollauit eum in carcere. Et attulit caput eius in disco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ.

Ne uideretur parum bonæ fidei, si quod fortè per regium diadema, aut geminum suum, aut saltatriculæ caput iurasset non præstaret, neue parum humanus, uel puellam tristiorē dimisisset, uel conuiuiarum quibus puella placuerat hilaritatem aliqua meroris nubecula offuscaret. O fidem ac religionem, ò ciuilitatem atq̄ humanitatē, annalibus dignam. Nulla mora, mittitur carnifex, adfertur sacrum caput innocentissimi uiri, ueluti missus quidam in disco. Traditur puellæ, puella reddidit matri suæ, munus dimidio regno charius. Hoc tantum spectaculo stultus & insanus rex gratificatus est incestæ mulierculę nam matrem horum malorum artificem ac fontem redit ferale præmium. Et ò contrauiuas interim tali conuiuatore dignos. Nullus erat regij tam amicus, qui rem tam nefariam interPELLARET. Et postea miramur, si reges aliquando audent nefaria, quum tales habeant animos, incestis amoribus & crapulæ deditos, cōuictos res uel timidos uel crudelitatis fautores.

Quo audito, discipuli eius uenerunt & tulerunt corpus eius, & posuerunt illud in monumento.

Huius tam execrabilis facti, cuius non uspiam crudelior ferocitas legitur, quam & Chrysoctomi facundia non sufficit ad digne traducendum, tam indignum facinus cum digna id eloquentia tentarit: talis inquā piaculi rumor quum peruenisset ad discipulos Ioannis, abstulerunt corpus eius, & honorifice dederunt sepulturæ. Iosephus narrat Ioannem uinctum in castellum Macheronta adductum ibiq̄ truncatum, Ecclesiastica narrat historia, in Sebaste urbe Pala-

stinæ, quæ dicta est quondã Samaria. Tempore uero Iuliani paganos inuiden-
tes Christianis qui sepulchrum eius solícite frequentabant, monumentum in-
uasisse & ossa eius per campos disparasse, & rursus collecta igni cremasse. At
fuisse tamen ibi de Hierosolyma monachos, qui immixti paganis ossa legenti-
bus, maximam eorum partem congregauerunt, et ad Philippũ Hierosolymam
detulerunt. Ipse uero misit ea Athanasio Alexandriae urbis episcopo, & ibi po-
stea seruata. Theophilus iubente Theodosio omnium gentium phanis destruc-
tis, expurgato à sordibus tẽplo Serapis, ossa eadẽ ibi posuit. Vt uideamus huius
ius historici si non mendacia, saltem superstitionem quæ ad nostra usq; tempo-
ra uiguit, introducta à monachis.

Matth. 14. b
Lucæ 9. b

Et conuenientes apostoli ad Iesum, renunciauerunt illi omnia quæ
egerant & docuerant. Et ait illis: Venite seorsum in desertum locum,
& requiescite pusillum. Erant enim qui ueniebant & redibant multi, &
nec spatium manducandi habebant.

Dum hæc aguntur, redeunt à peracta legatione apostoli, & simul sese con-
gregant ad Iesum, totius negotij caput. Ab eo proficiscuntur omnia, ad eundem
omnia referantur oportet. Ab eo mandatis acceptis discesserant concorditer,
ut in unius nomine pariter agerent quicquid agerent: ad eundem concorditer
redeunt cupientes approbari quod gestum erat. Exponunt itaq; totius legatio-
nis historiam magna alacritate commemorantes singula quæ docuerat, quæq;
gesserant, & quàm res ex animi sententia successisset. Dominus autem compro-
bata illorum sincera fide, sed coercita gloria abduxit illos in locum solitariũ,
in desertum urbis Bethsaidæ, ut aliquantulum refocillarentur à tantis labori-
bus ac respirarent. Non datus est secessus ad uoluptatibus laxandũ animum,
sed ad secreta preceatione uegetandum renouandumq; spiritus uigorem, mox
recurfuris laboribus. Nam doctõri euangelico sanè quàm leuis debet esse cura
corporis. Porrò qui fungitur apostolico munere, quoniam cum infirmis ac fir-
mis, cum doctis & indoctis, cum bonis & malis rem habere cogitur, fieri non
potest, quin interdum ab illa perfecta tranquillitate mentis nonnihil labefactetur.
Id quoties accidit, ad secretas & intẽtissimas preces, ad purissimam rerum
coelestium contemplationem animus est traducendus, ut mox uegetior factus
ad iuuandum proximum redeat. Siquidem ubi tum temporis offenderunt do-
minum Iesum, innumera hominum turba uentitabat ad Iesum, ut estuare per-
dam uices uideretur uenientium & abeuntium, qui adeò nullam quietem per-
mittebant apostolis ex itinere lassis, ut ne cibi quidem sumendi daretur spatium.
Et ut

Et ascendentes in nauim abierunt in desertum locum seorsum. Et ut
derunt eos abeuntes, & cognouerunt multi, & pedestres de omnibus
ciuitatibus concurrerunt illuc, & preuenerunt eos.
Dimissis turbis ac conscensa naui petierunt littus Bethsaidæ uicinum, atq;
inde in locum desertum sese cum domino receperunt. Verum nec hic cõgita-
diu latitare; nec enim potest abscondi lux Euãgelicæ ueritatis. Secessus hic ni-
hil aliud quàm irritauit & acuit hominum desyderia. Obseruatum est à quibus-
dam, quò se contulisset, nimirum in desertum, spectans ciuitatem Bethsaidæ.
moxq; rumore sparso quod illic ageret, magna uis promiscuæ multitudinis ex
omnibus uicinis oppidis eò pedestri contendit itinere, sic ut prius eò pedes-
tes peruenerint multi, quàm ipse dominus cum discipulis, etiam nauigatione
adiutis. Dicas adesse tempus, quo ui pararent irrupere in regnum dei. Iesus
autem

autem petendo solitudinem, fidem turbarum an sequatur explorat, & exploratam digna mercede remunerat. Turbæ autem non iumentis nõ uehiculis, sed proprio labore pedum iter deserti arripiunt, & salutis desyderium ostendunt. Rursus ipse excipiendo fatigatos, docendo fideles, sanando agrotos, recreando ieiunos, quantum deuotione credentium delectetur insinuat.

Et exiens uidit turbam multam Iesus, & misertus est super eos, quia Matth. 9. d
erant sicut oves non habentes pastorem, & cœpit illos docere multa.

Vbi sensit dominus innumeram hominum multitudinem undiq; difficulti ac pedestri itinere confluisse, adeo non subduxit sese, nec abegit importunos, ut e secessu suo uelut obuiam prodiret, nimirum hoc interim agens, ut uarijs modis formaret discipulos suos, et institueret ad promptitudinem, sine cessatione promouendi negotium Euangelicum. Itaq; progressus clementissimus Iesus, ubi conspicatus est numerosam quidem sed promiscuam & incompositam turbam puerorum, uirorum, & mulierũ, tactus est misericordia, ac syncerum animi dolorem ipsis oculis ipso uultu atq; ipsa, quod aiunt, fronte præ se tulit, fingens ac formans affectum doctoris Euangelici. Sitiabant salutarem doctrinam, id arguebat itineris & celeritas & difficultas. Amor pedibus alas addiderat. Sed erant uelut oves huc & illud palantes ob boni pastoris inopiam. Siquidem sacerdotes, pharisæi, & scribæ neglecto grege pascebant semetipsos. Iesus autem misertus simplicis & inconditæ multitudinis, cœpit agere fidum pastorem, primum multo doctrinæ sacre pabulo reficit illorum animos, mox sanabat quos secum adduxerant agrotos. His rebus quum iam multum temporis consumptum esset, iamq; res ipsa moneret corporis quoq; cibo reficiendam esse multitudinem, discipuli præceptoris clementiam imitantes illum submo-

Et cum iam hora multa fieret, accesserunt discipuli eius, dicentes: De Matth. 14. b
Desertus est locus hic, & iam hora præterijt, dimitte illos, ut euntes in proximas uillas & uicos, emant sibi cibos quos manducant. Et respondens Luc. 9. b
ait illis: Date illis manducare. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis Ioan. 6. d
denarijs panes, & dabimus illis manducare. Et dicit eis: Quot panes habetis? ite & uidete. Et cum cognouissent, dicunt: Quinq; & duos pisces. F
Et præcepit illis ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super uiride scœnum. Et discubuerunt in partes per centenos & quinquagenos.

Submonentes discipuli dominum inquirunt: Vides domine infinitam multitudinem absq; comœtu hucusq; profectam: & locus hic desertus est, iamq; tempus reficiendi corpora præterijt: obliuiscuntur sui, tuis sermonibus inhiant, nec possunt diuelli. Itaq; dimitte illos, ut eant in proximas uillas ac uicos, emantq; sibi cibos quos edant. Tum Iesus instituens suos quomodo sit pasceda multitudo, respondit: Quin potius uos, qui pastores estis futuri, nunc agere pastores consuescite, ac de uestro date illis quod edant. Porro discipuli nondum intelligetes quo tenderet hic sermo Iesu, pro rudi captu suo responderunt: Remandas nobis impossibile: scis enim quàm tenuiter simus instructi uiatico. An ibimus, & ducentis denarijs ememus panes huic multitudini, adeo nõ suffecturos ad satietatē, ut singuli uix paululum quiddam gustaturi sint? Tum Iesus paulatim animos illorum miraculo præparans, Quot, inquit, panes habe-

tis: Quum non haberent in promptu quod responderent: Ite, inquit, & inspicite quàm sitis instructi comteatu. Inspiciunt & renunciant esse quinq; panes, & duos pisces. Non latebat dominum quantum haberent, sed uoluit apostolis exploratam esse paucitatem, quo magis agnoscerent in miraculo uirtutem diuinam. Quoq; magis etiam animaduertent quanta esset hominum multitudo, præcepit, ut omnes iuberent in uirenti gramine discumbere, sic distributos in sodalitia, ut in singulis centum aut quinquaginta simul accumberent. Paruerunt apostoli domino, populus paruuit apostolis, tanta erat fiducia in pastore Iesu.

Et acceptis quinq; panibus & duobus piscibus, intuens in cæelum benedixit, & fregit panes, & dedit discipulis suis ut ponerent ante eos, & duos pisces diuisit omnibus. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos pleenos, & de piscibus. Erant autem qui manducauerunt, quinque milia uirorum.

Iesus igitur accepit quinq; panes ac duos pisces, & ex more sublati in cæelum oculis, gratias egit patri, cuius beneficio sic procederet negotium Euangelicum: deinde fregit panes, tradiditq; discipulis omnibus distribuendos. Refecti sunt omnes ad saturitatem usq; & adeò nihil cuiquã defuit, ut peractio conuiuio apostoli ex reliquijs iussu domini collectis impleuerint cophinos duodecim. Porro numerus multitudinis qui facile poterat deprehendi ex distributis per uiridaria sodalitijs, erat quinq; uirorum milia, præter pueros & mulieres. Hoc miraculo Iesus & apostolis suis formã præscripsit pabulo sermonis Euangelici pascendi multitudinem, & anxiam solitudinem exemit parandi comæus. Quisquis igitur es episcopus ac pastor gregis dominici, noli sic cogitare: Sum legis diuinæ professor, sum arcanorum uoluminũ interpres, est abunda de quod doceam, populoq; quamuis esurienti è diuite confertoq; eruditionis meæ penuriam depromam. Inspice potius & agnosce quàm sit tibi domi hoc ipsum exilis, quem & ipsum quantus quantus est domino debes. Verum hoc ipsam facultatis quod habes, offer manibus Iesu, roga ut ille contrectet ac frangat. De inde quod ille tradidit, sicut tradidit appone populo, tanquam domini cibum, non tuum, & appone nihil hæsitans, nihil dijudicans, nihil tuis fidens uiribus, ita demum erit Euangelicum conuiuium, & salutari pabulo per idiotam magis reficientur & explebuntur animi credentium, quàm si phariseus superstitiosus, aut philosophus arrogans, aut orator eloquens, meditata accurataq; oratione sese uenditaret multitudini. Porro quoniam ante iussit illos nulla prouidentia comæus accedere ad Euangelij negotium, nunc ipsa re declarat, nihil defuturum ijs qui dum toto pectore sunt intenti regno dei & iustitiæ eius, negligunt ista temporaria, quorum solitudine uulgi hominum misere dicitur, modo adsit fiducia simplex erga dominum Iesum. Leue beneficium erat saturasse famelicos, præ his quæ quotidie præstabat illis benignissimus dominus. Longe benignius est pauisse mentem quàm uentrem. Et tamen hoc quod est minimum, crassum uulgi ut est præpostero iudicio solet plurimi facere.

Matth. 14. c
1047. b

Et statim coegit discipulos suos ascendere nauim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum. Et cum dimisisset eos, abiit in montem orare. Et cum sero esset, erat nauis in medio mari,

dio mari, & ipse solus in terra.

Iesus cognoscens futurum, ut crassa multitudo iam saturata, de regno ipsi deferendo cogitaret, compulit discipulos suos: nam ægre diuellebantur à tam amabili domino, ut conscensa nauis, transmissisq; lacu præcederēt Bethsaidam, dum interim ipse dimitteret multitudinē. Ea dimissa furtim subduxit se in montium Euangelicum, ita progrediretur. Interim appetebat nox, & discipuli sine tempore nauigabant in medio lacu. Et oborta est tempestas. Quid ni nox sit ubi non adest sol & lux mundi Iesus? Quid ni periclitetur nauis in qua non est Iesus: Quid ni turbentur apostoli, quum abest ille consolator omnium Iesus? Quid ni uenti reflantes succedunt remorentur humanæ industriæ, nisi promoueat Iesus: Abest ille quidem nonnunquam, sed nõ destituit suos in finem. Ad tempus uidetur interdum destituere, ut exerceat rebus aduersis, ut instituat ad firmam de se fiduciã. Iam enim è monte descenderat, iam stabat in littore solus. Non uidebatur à discipulis, sed ipse tamen uidet eos. Nõ oportet igitur despondere animum in rebus quantumlibet turbatis atq; commotis. Hac certa fiducia concepta animo, quamuis nusquam se ostendat dominus, tamen suis non defuturum quum tempus postularit.

Et uidens eos laborantes in remigando (erat enim uentus contrarius eis) & circa quartam uigiliam noctis uenit ad eos ambulans supra mare, & uolebat præterire eos. At illi ut uiderunt eum ambulans supra mare, putauerunt phantasma esse, & exclamauerunt. Omnes enim uiderunt eum, & conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis, & dicit eis: Confidite: ego sum, nolite timere. Et ascendit ad illos in nauim, & cessauit uentus. Et plus magis intra se stupebant: non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum.

Iam dominus adstat in littore, & uidet eos laborantes in remigando: nam uentus erat aduersus. Quum itaq; sic aliquandiu luctati fuissent aduersus undas & uentos huius mundi, nec multũ abessent à desperatione, circa quartam uigiliam noctis, hoc est sub diluculum, uenit ad eos Iesus, non uectus nauis, sed placide ambulans super undas. Agnouit enim elementum conditorem suum, ac præ se ferebat quasi uellet eos præterire. Sic enim patitur aliquando suos hecæcari in malis, quasi negligat, quum nõ deponat unquam curam illorum. Apocritum est quæ uiderant, credentesq; non posse fieri ut solidum et graue corpus hominum quæ uiderant, credentesq; non posse fieri ut solidum et graue corpus hominis liquidum elementum sustineret, suspicati sunt esse spectrum inane, quod oculos trana specie deluderet. Pauefacti igitur præ metu exclamauerunt: nam speciem Iesu uidebant omnes, nec tamen Iesum esse credebant. His formidabilis est dominus, qui ultorem esse credunt, seruatorem esse nesciunt. Non nim agnoscitur potest in huius mundi tenebris, nisi ipse sese nobis insinuet. Non passus est igitur suos diutius exanimari metu, sed protinus uoce iam non ignota compellauit eos, dicens: Estote forti animo, Ego sum, nolite timere. Et ingressus nauim iunxit se suis discipulis, atq; ilico confedit tempestas. Iam pauori successit admiratio, quomodo corpus humanũ posset ambulare super elementum fluidum. Tanta erat discipulorũ tarditas, tanta ruditas, tantaq; obliuio uel inconsideratio, ut non ueniret eis in mentem uel illud miraculum, quod paulò ante uiderant, quinq; panibus ac duobus piscibus saturata tot hominũ milia.

Tantaque erat caligo cordis, ut pro stupenda re ducerent, quod Iesus ambulasset super undas, quum longe prodigiosius esset tantulo cibo tantam saturare multitudinem. Hanc tarditatem dominus in suis herere permisit, ut & ipsi consuescerent imbecillium ferre tarditatem donec proficerent.

Matth. 14. d

Et cum transfretassent, uenerunt in terram Genezareth, & applicuerunt. Cumque egressi essent de naui, continuo cognouerunt eum, et percurrentes uniuersam regionem illam, coeperunt in grabatis eos qui se male habebant circumferre ubi audiebant eum esse. Et quocumque introibat in uicos uel in uillas aut ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, ut uel fimbriam uestimenti eius tangerent, & quot tangebant eum salui fiebant.

Peruentum est ad littus diluculo, appulerunt autem in terram quae dicitur Genezareth, ad portum destinatum. Vix ingressus est in terram, aderam ex oculis qui agnoscerent Iesum. Iam enim eruperat sol, & abierat nox, quae occupat discipulorum animos. Obseruabatur enim a multis quocumque se conferret, iam enim plurimis innotuerat etiam de facie, sed multo latius sese famam raculorum doctrinaeque sparserat. Porro qui uiderant & agnouerant, perinde quasi uelut exploratores uenissent, continuo relicto eo percurrentes totam illam regionem renunciarunt adesse Iesum. Ad eum rumore plurimi coeperunt aegrotos in grabatis circumferre. Et quocumque se conferret Iesus, siue in uillas, siue in uicos, siue in ciuitates, aderat importuna turba, magis sollicita de tollendis morbis corporum quam animorum, ac miseranda spectacula uarijs morbis laborantium exponebant in plateis, ac praetereuntem Iesum deprecabantur ut liceret uel fimbriam uestis eius contingere. Tantus enim erat turbae tumultus, ut uix hoc cuius dari posset. Neque enim haec erat Iesu difficultas, qui nec leprosum grauius est tangere, sed fiduciae delectabatur exemplo, quod omnibus uolebat esse commendatum. Quid ni commendatum sit? Quotquot contingebant Iesum sanabantur, quocumque genere morbi tenebantur. Illi fidentes contingebant fimbriam uestis, quae postea cessit his qui crucifixi erant eum, & leuabantur morbis corporum: quanto magis adnitendum est omnibus, ut Iesum ipsum contingant animo, & sanentur a morbis animorum? Nihil ualet contactus sine fide, nudum corpus Iesu contrectarunt qui impeerunt alapas, qui uinciebant, qui flagellabant, qui suffigebant in crucem, neque cuiquam horum profuit contingisse. Legis Euangelium, contingis quidem Iesum, sed legis ut reuellas, aut legis oscitanter, frustra contingis Iesum: lege sincera fiducia, mox sanaberis. Sed deprecandus est Iesus, ut liceat contingere: frustra contingit quem ille non contigit prior. Si non potes assequi reconditam illam sapientiam, quam Paulus loquitur inter perfectos, uel fimbria contacta restituet sanitati, si fides assit integra. Nihil tale praestare possunt quantumlibet late pharisaeorum fimbriae. Nihil est in domino Iesu tam humile, quod per fidem non praestet salutem.

CAPVT VII.

Matth. 15. a

AT conueniunt ad eum pharisaei & quidam de scribis, ueniens ab Hierosolymis. Et quum uidissent quosdam ex discipulis eius communibus manibus, id est, non lotis, manducare panes, uituperauerunt.

Euangelij successus etiam hic fuit apud simplicem & credulam turbam, sed non

non item apud scribas & pharisæos, qui religionis totius ac doctrinæ arcem sibi uidebantur obtinere, ac plebeios idiotas uix ducebāt pro hominibus. Nam sacerdotum uix usquam ulla mentio nisi cum perdendus esset Iesus. Proinde quemadmodum in Comœdijs uariatur scænæ, ut ex personarum ac rerum colata diuersitate singula magis elucescant; sic in negotio Euangelico dominus Iesus ita temperauit uices omnium quæ gerebātur, ut ex perspecta simplicitum atq; etiam ethnicorum credulitate liqueret omnibus quàm esset insanabilis eorum peruersitas, per quos conueniebat aliorum incredulitatem corrigi. Ruditas ac plebeis ad salutem sufficit contacta uestis fimbria, pharisæos nec intellecta prophetarū oracula, nec audita toties Christi doctrina cœlestis, nec tot conspicta miracula corrigunt. Commodum igitur his rebus gestis conueniunt eodem aliquot pharisæi & scribæ. Venerabile nimirum ac suspiciendum genus hominum, atq; hoc magis quod uenissent ex Hierosolymis, ubi fontem pietatis ac sacræ doctrinæ uolebant esse, quum illic esset fons & caput omnis ambitionis, hypocriseos, & impietatis. Hi quum sibi iusti doctriq; uiderentur, nō ueniunt ut discant, non ut sanentur, sed ut calumnientur. Et ecce protinus parata nascitur omnis inter homines calumnia. Iudæi commune uocāt quicquid prophanum est & impurum, uel ut nostri dicunt, laicum, nimirum abominantes omnem immunditiam, & hoc agentes, ne quid impurum usquam uideatur habere, sed sint ipsa religio ac sanctitas. Atq; hanc puritatem non animi sinceritate, quæ sola ueracq; puritas est apud deum, sed corporalibus ceremonijs metuebantur. Quarum aliquot et Mosis lex præscripserat, non ut perpetuo serioq; seruarientur, sed partim ut ad tempus populus rudis & intractabilis consuesceret obtemperare præceptis diuinis; partim ut huiusmodi uelut umbris ac rudimentis paulatim instituerentur ad ea quæ sunt ueræ pietatis in animo sitæ. Porro quædam non his contenti quæ lex præscripserat, innumeras constitutiones de suo adiecerant, quas pharisæi seuerius exigebant à populo, quàm ea quæ deus præceperat semper & apud omnes obseruanda. Et ex huiusmodi nugis uindicabāt sibi laudem sanctimonie, populoq; stultam sanctimonie persuasionem inducebant: quodq; sceleratius est, ex his quæ nihil faciebant ad ueram pietatem, impietatis calumniam struebant proximo. Quum enim uidiissent aliquot ex Iesu discipulis sumere cibum manibus illotis, hoc est quemadmodum illi loquuntur communibus & impuris, uituperabant illos, quasi parū religiosos, simulq; præceptorem qui suos parum sancte institueret. Nec ideo damnant, quod uel per se uitiosum est, uel à deo uetitum, sed quia dissidebat ab ipsorū consuetudine. Est autem hæc pessima iudicandi regula, ideo damnare quippiã quod ipse non soleas idem facere. Fit enim sæpenumero, ut quæ stultissima sunt, irrepant in publicam consuetudinem, quam nō oportet facere regulam pietatis, quum ex ueris ac præscripto dei sit æstimanda puritas.

Pharisæi enim & omnes Iudæi, nisi crebro lauerint manus nō manducant, tenentes traditionem seniorum: & à foro, nisi baptizentur, non comedunt; & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruari, baptisma calicum & urceorum & æramentorū & lectorū. Et interrogabant eum pharisæi & scribæ, Quare discipuli tui non ambulāt iuxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem?

Scribæ & pharisæi atq; adeo omnes ferè Iudæi stultissime iudicantes animi

puritatem in rebus corporalibus esse sitam, adeò superstitiose seruabāt morem à maioribus, non à deo traditum, ut etiam si fame periclitentur, non caperent cibum nisi prius lotis manibus. Et si sapius in die capiendus sit cibus, crebro lauant manus, atq; ita se puros arbitrantur ad cibum accedere. Quin etiam si domum è foro redeāt, uelut è populi irreligiosioris & laici contactu contraxerint aliquid impuritatis, nō capiunt cibum nisi loti corpore toto: quū interim mentem habentes odio, liuore, ambitione, auaritia, simulatione, cæterisq; pestibus inquinatissimam, non cogitent de lauando. Hæc aliæq; his consimilia præter legem constitutiones tradita sunt illis à maioribus, quū lex ipsa uetet addi demiq; quicquam ab his quæ diuinitus essent præscripta. Nec satis erat subinde lauare corpus, quo puriores uiderentur frequenter lauabant & urceos, & uasa aræ, & lectos deniq;. Neq; hanc calumniandi scabiē poterant intra se premere pharisæi, cum discipulis non exostulant, sed uelut in atroci facinore dominum ipsum adoriuntur. Cur, inquiunt, discipuli tui qui te sequuntur, & ex tua pendunt institutione, non obseruant morem à maioribus institutum, sed illotis & impuris manibus capiunt cibum?

Isaiæ 29. d

B At ille respondens, dixit eis: Bene prophetauit Isaias de uobis hypocritis, sicut scriptum est: Populus hic labijs me honorat, cor autē eorum longe est à me: in uanum autem me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum. Relinquentes enim mandatum dei, tenetis traditiones hominum, baptismata urceorum & calicum, & alia similia his facitis multa.

Iesus nos docere uolens nullum esse pestilentius calumniandi genus quam ubi quis sub prætextu pietatis incessit benefacta proximi, seuerè retundit illorum malitiam ac simulatam iustitiam. Factis, inquit, uestris declaratis sanctis ritosq; de uobis hypocritis uaticinatum Isaiam, qui foris speciem sanctimoniam, quum intus pleni sitis iniquitate. Apud quem hunc in modum queritur deus: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum procul est à me. Et quemadmodum ipsi uiuunt, sic alios instituunt. Nihil moror istam corporum & supellectilis munditiam, animi munditiam requiro. Hoc pietatis sancti cato frustra me colunt, ceu magnum quiddam ostentantes, & in quo frustra sita soluta pietas, docentes humanas constitutiunculas, quæ neminem comendant deo, atq; harum superstitione pro nihilo ducentes præcepta dei. Quantum interest inter hominem & deum, tantum interesse decet inter hominum constitutiones & præcepta dei. Deus spiritus est, & quod spirituale est, perpetuum est, nec unquam oportet negligi. Quicquid corporale est temporariū est. Si fas est negligere ceremonias à deo præscriptas, quoties id suadet proximi charitas: quanto minus conuenit ob humanas constitutiones uiolare dei præcepta: Præposita pietas est & irreligiosa religio, superstitiosum esse in obseruandis his quæ in lotionibus manuum, calicum, urceorum, alijsq; multis similibus rebus præcipuam quandam pietatem collocatis, quæ uos populo comendant falsa quædam religionis imagine, & hanc fucatam laudem pluris facitis quam authoritatem dei. Diligitis enim uos ipsos, nec queritis gloriam dei, nec salutem populi cuius uos profitemini duces & doctores. Proinde non mirum est, si quod à deo præceptum est, ut semper & ab omnibus seruetur, abrogetis & antiquentis, quia maneat humanæ constitutionis autoritas, quæ uobis conciliat authoritatem & quæ

& quæstum. An nõ palàm ita facitis? & factis conuinci potestis, & ex ipsa lege.

Et dicebat illis: Bene irritum fecistis præceptum dei, ut traditionem uestram seruetis. Moyses enim dixit: Honora patrem tuum & matrem tuam, & Qui maledixerit patri uel matri, morte moriatur: Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri aut matri, Corban, quod est donũ, quocumq; ex me, tibi profuerit, & ultra non dimittitis eum quicquam facere patri suo aut matri, rescindentes uerbum dei per traditionem uestram quam tradidistis. Et similia huiusmodi multa facitis.

Exodi 20.6

Deut. 5.6

Eph. 6.4

Exodi 21.6

Leuit. 20.6

Prou. 20.6

Per Mosen hanc legem deus prodidit: Honora patrem tuum & matrem tuam, Et qui maledixerit &c. Hoc deus non uno in loco præcepit, sed iterum atq; iterum repetit & inculcat animis omnium, ut parentes ætate defectos aut egenos, aut alioqui necessitate quapiam oppressos liberi pro sua uirili subleuent, ac nutritionis officium rependant. Dicitur itaq; lex naturæ huiusmodi nonnullis etiam animantibus insita ueluti ciconijs. Vos autem uestris commodis consules, commentitia doctrina subuertitis præcepta dei, & postulatis, ut quod deus tantopere uoluit, cedat uestræ doctrinæ fucatæ. Deus ipse clamat: Honora patrem & matrem. Vos audetis contradicere: Ne honora patrẽ & matrem. Nõ clamatis hæc uerbis, sed re facitis, quo sceleratior est uestra impietas, quam ster aliter pietatis obnubilatis. Etenim ut gazophylacium expleatur, unde uerentibus, quorum egestatem oportebat subleuare iuxta præceptum dei, quam plurimum donariorum adferant in templum, persuadentes ita satisfactum esse præcepto, quasi deo donetur quod consecratur templo, & deus uerus sit pater omnium. Itaq; qui pecuniam misit in gazophylacium, huic dicitis nõ esse iam opus, ut quicquam impartiat egentibus parentibus, ne aedijs exigere quod fati: & interim superstitione deterretis parẽtes, ne audeant a filijs exigere quod semel deo dicatũ uidetur, ne sacrilegio sese reddant obnoxios. Atqui nec deus eget uestra pecunia, nec ista pecunia uertitur in gloriam dei, sed in usus uentros, & si uerteretur in structuram templi, tamen deo nullum templum tam factum est, ut eius causa uelit parentes a liberis destitui. An nondũ per huiusmodi commentitias doctrinas, & filios seducitis ne subueniant parentibus, & parentes deterretis, ne ausint cõtingere quod templo dicatũ est? Dum uestra consueueritis subuertitis præcepta dei. Hoc exempli causa uobis produxi, quod nõ potestis inficiari. Verum nõ in hoc tantum peccatis, multis alijs in rebus idem facitis. Quemadmodum in hoc ipso facto præceptũ est dei, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Et uos ob friuolas lotiones ab hominibus traditas, calumniam struitis & mihi & meis discipulis, nimirum contempto præcepto diuino.

Et aduocans iterum turbam, dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite. Nihil est extra hominem introiẽs in eum, quod possit eum coinquinare: sed quæ de homine procedunt illa sunt quæ coinquinant hominem. Si quis habet aures audiendi, audiat.

Matth. 15.6

Pharisæis hoc priuato sermone coercitis uerius quàm sanatis, rursus aduocauit multitudinem, quam uolebat his de rebus admonitã esse, ne posthac pharisæis traditionibus auocarentur ab Euangelica synceritate. Audite, inquit, omnes & intelligite, Vidistis intentatum impietatis crimen, propterea quod discipuli quidam mei manibus illotis panem comederint, quasi tali cibo conta-

C

minetur apud deum qui uescitur. Puritas & impuritas hominis non est in rebus extraneis sed internis. Nec animus inquinari potest rebus corporeis. Proinde nihil quod sit extra hominem & ingrediatur in corpus hominis potest hominem impurum facere apud deum, sed quæ intus sunt in homine, & ab homine exeunt, declarant impurum hominem. Hoc ænigmate dominus Iesus multitudini dedit occasionem inquirendi, quid sibi uellet quod dictum est. Quocumque magis acueret studium illorum, adiecit: Quisquis habet aures audiendi, idoneas ad audiendum, audiat: significans eam cautionem frustra cani surdis pharisæis.

Et cum introisset in domum à turba, interrogabant eum discipuli eius parabolam. Et ait illis: Sic & uos imprudentes estis? Non intelligitis quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare, quia non intrat in cor eius, sed in uentrem uadit, & in secessum exit, purgans omnes escas?

Dominus ubi sese dimissa turba recepisset in domum, discipuli rogabant eum priuatim, ut explicaret parabolam de discrimine ingredientium in hominem, & egredientium ex homine. Iesus autem ad exemplum fidei diligentibus præceptoris, prius excitata obiurgatiuncula illorum attentione docuit parabolæ mysterium. Ad eum, inquit, uos quoque quos cæteris docendis elegi parabolæ intelligentia? Atqui ex tot parabolis quas uobis sum interpretatus, huius etiam sensum oportebat conijcere. An non intelligitis ex his quæ foris ingrediuntur in hominem, non posse deprehendi puritatem aut impuritatem hominis? Quæ enim ingreditur per os, non transmittitur in cor, sed in stomachum, mox in uentrem, inde si quid impurum est excernitur in secessum, ut uescens sit omnis cibus purus, natura repurgante quod impurum est. Natura enim quæ est sagax, impuritatem quæ est in alimento suscepto, emittit per secessum, retinens illud quod est ibi purum ad corporis nutrimentum, & sic purgatur esca corporis nutritiua.

Dicebat autem quoniam quæ de homine exeunt, illa coinquinant hominem. Ab intus enim de corde hominum cogitationes male procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, auaritia, nequitia, dolus, impudicitia, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia. Omnia mala hæc ab intus procedunt, & communicant hominem.

Ea autem quæ proficiuntur ex intimis hominis partibus sunt quæ faciunt ac declarant impurum hominem. In corde sedes est animi: & in animo uera puritas est aut impuritas. Non igitur statim purus est qui lauit manus, sed qui cor habet lotum ac mundum. Hinc ergo quæ prodeunt, uerè declarant hominem purum aut impurum: ex intimis enim cordis recessibus proficiuntur cogitationes malæ. Adulteria, ubi thorus uiolatur alienus, ex amore nimium inordinato. Stupra similiter & fornicationes prohibita. Homicidia, quæ ex auaritia uel odio aut inuidia proficiuntur. Furta, ex concupiscentia illicita habentem res alienas. Auaritia, cupiditas habendi aliena, uel nimium multa cum detrimento etiam proximorum. Fraudes & perfidia, in proximum decipiendum uerbo facto & intentione. Dolus, in cogitatione maligna contra utilitatem proximi. Nequitia, ad calumniandum proximos. Impudicitia, per abusus sensum ex animo libidinoso. Oculum malum, Hebræico more intelligit inuidiam, uel enim in temperantiam. Etenim inuidus oculus fascinum immittit in eum cui inuidet.

Et intemperans per oculos uidens malum communicat. Blasphemiam autem dicit conuictum in deum, ut si quis dicat: Non est prouidentia. Vnde & superbiam adiicit, contemptum dei & sui fiduciam, quando quis bonum quod operatur propria uirtuti non deo ascribit. Stultitia autem conuictum intelligit illa. Nihil horum inuehit cibus illotis manibus sumptus. Oriuntur autem ex ipso homine, hoc est ex corde. Quumque prodeunt, declarant hominem uere impurum esse, qui cor habeat totis purcitijs impuratum. Hæc si lateant in corde, tamen impurus est homo apud deum, qui cordis intima perspicit, sin prouidentiam impuram esse, qui cor habeat totis purcitijs impuratum. Hæc si lateant in corde, tamen impurus est homo apud deum, qui cordis intima perspicit, sin prouidentiam impuram esse, qui cor habeat totis purcitijs impuratum. Hæc si lateant in corde, tamen impurus est homo apud deum, qui cordis intima perspicit, sin prouidentiam impuram esse, qui cor habeat totis purcitijs impuratum.

Et inde surgens abiit in fines Tyri & Sidonis, & ingressus domum *Matth. 15. c*

neminem uoluit scire, & non potuit latere. Dominus Iesus ipsa loci mutatione significans quàm tæderet Iudaici cultus, qui ferè totus æstimabatur corporalibus obseruatiunculis, & intra Iudææ perquam angustos terminos constringebatur, quanquam sitiret gentium multitudinem & amplitudinem, apud quas erat adorandus in spiritu & ueritate; submouet sese illinc, & profectus est in fines Tyri & Sidonis, sed ueluti furtiuus hospes ob inuidiam Iudæorum, qui quoniam Tyrios ac Sidonios habebant pro canibus & abominandis, non tulissent Iesum doctrinam Euangelicam ad illos transferre. Proinde non ibi uersatus est in publico, quod solet apud Iudæos, sed domum ingressus est, quasi cupiens latere: quanquam latere non potuit, adeo fama dictorum ac factorum eius sese & ultra Iudææ fines profuderat, ueluti iam tum medians in uniuersum orbem propagari. Sic optime spargitur pietatis Euangelicæ gloria, si fugitantem ultrò sequatur.

Mulier enim statim ut audiuit de eo, cuius filia habebat spiritum immundum, intrauit & procidit ad pedes eius. Erat enim mulier gentilis, Syrophœnissa genere. Et rogabat eum ut dæmonium eijceret de filia eius.

Chananaica quædam mulier ad rumorem de Iesu sparsum è finibus suis egressa, mox ingenti de eo concepta fiducia properat ad Iesum, & ægre permissa procubuit ad pedes illius. Hæc non erat Iudaicæ religionis sed Ethnicæ, nec Iudaicæ gentis, sed Syrophœnissa genere. Agnoscis manifestum ecclesiæ tyriacæ, paulò post è gentibus congregandæ. Iudæi Iesum eiecerunt, Syrophœnissa relictis suis sedibus obuiam profecta est Iesu. Frustra uenitur ad Iesum, nisi pristina uitia iam domestica reliqueris. Emigrandum est è tuis ædibus, ut uenias in domum in qua sedet Iesus. Hæc mulier habebat domi filiam, malo dæmonio obnoxiam. Is est populus idololatriæ deditus. Rogat itaque mater Iesum, ut filiam à dæmonio liberet. Quanto perfectior Ethnicæ mulieris fiducia quam archisynagogi & Iudæi.

Qui dixit illi: Sine prius saturari filios: non est enim bonum sumere de re panem filiorum, & mittere canibus. At illa respondit, & dixit ei: Vtiq; domine, nam & catelli comedunt de micis sub mensa puerorum.

Dominus Iesus quo magis reddet et omnibus conspicuam mulierculæ fidu-

itinere facto præter regionem Decapoleos, ubi prius sanarat dæmoniacū. Huc
 ubi uenisset, adducunt illi miserabile spectaculum, uidelicet hominem & sur-
 dum et mutum. Mutus enim sit oportet, qui natura surdus sit. Sed miserabilius
 est, surdus cui non sunt aures idoneæ ad audiendum sermonem dei; peius mu-
 tus est, qui non habet linguam ad confessionem suæ turpitudinis ac diuinæ mi-
 sericordiæ. Per auditum fidei salutis est initium, per confessionē oris salutis est
 profectio. Iudæi tamen si quotidie Iesum loquentem audiebant, non audientes
 audiebant, quoniam ad exemplum aspidis obturantis aures aduersus sapien-
 tis incantatoris uocem, credere nolabant his quæ audiebant. Et ideo linguam
 habebant ad obrectandum, ad salutarē fidei professionē non habebant. Quid
 faciet miser qui linguam nō habet, qua salutem petat à domino? qui aures non
 habet, quibus percipiat uocem Iesu, etiam mortuorum excitatricem? Succur-
 runt misero qui linguam & aures habebant. Adducunt eum ad Iesum, interpel-
 lant illius clementiam, ut illi dignetur imponere manum. Sic uisum est clemen-
 tissimo domino, ut aliena etiam fides opituletur peccatoribus. Adducitur ad Ie-
 sum catechumenus, desijt male facere, desijt male loqui, sed nondum didicit be-
 nefacere, nondum didicit confiteri bonitatem Euangelicam. Qui possit autem
 nisi Iesus illi manum imponat? Frustra laborant homines, nisi Iesu secreta uis
 accesserit. Erat in procliui domino uel simplici uerbo dare sanitatem surdo &
 muto, sed nobis hæc rerum forma proponitur. Siquidem ut plerunq; parabola
 est quod loquitur Iesus, ita non raro parabola est quod facit. Apprehensum ho-
 minem seducit à turba. Saluus est quemcunq; apprehenderit Iesus, quē ab hu-
 ius mūdi tumultu semouerit. Misit digitos suos in auriculas eius, ac saliuā suā
 tetigit linguam illius. Iam in proximo est salus, ubi Iesus uirtute sui spiritus qui
 digitus est dei, dignatur aures mentis nostræ contingere, quoties saliuā cœle-
 stis sapientiæ quæ ipse est, ex ore patris altissimi prodiens, dignatur animi no-
 stri linguam contingere, ut sapiant nobis ea quæ dei sunt. Neq; enim absq; hoc
 humore fit gustus, & humana saliuā uitiatā peruersum habet iudicium. Hæc sa-
 liuā non solum linguam soluit, uerum etiam oculos aperit cæci nati, quoties ad
 mixta terræ oculis inungitur, quum saliuā philosophorum & pharisæorū ma-
 gis exoculet. Faciunt idem quodammodo & doctores Euangelici. Apprehen-
 sos abducunt à turba, quum à lata uia per quam plurimi ambulant in exitium,
 reuocant ad pusilli gregis consortium. Inserunt digitos in auriculas, quum auo-
 cantes à fiducia rerum fluxarum, hortantur ad doctrinam cœlestem. Sputum
 immittunt in linguam ad Euangelicę fidei professionē exhortantes. Imponunt
 manum, quum baptizatis impartunt spiritum sanctum, per quem abolentur
 peccata, & confertur innocentia. Verum hæc omnia frustra doctor facit foris,
 nisi Christus intus operetur, ac diuinam suam uirtutem emittat de cœlis, quæ
 quum apprehēdisset, quum immisisset digitos in aures, inspūisset in linguam,
 hæc omnia fiunt. Huius rei uelut imaginem quandam exhibere uolens Iesus,
 quum apprehēdisset, quum immisisset digitos in aures, inspūisset in linguam,
 sustulit oculos in cœlum, & ingemuit. Gemitus hic non erat diffidentię, sed hu-
 manam calamitatē deplorātis. Quid enim miserabilius illis, quibus aures men-
 tis sic occupatæ sunt cupiditatibus terrenis, ut nō queant audire uerbum dei?
 Itaq; gemitus Iesu nos admonet quales fuerimus: at suspectus in cœlum ad-
 mit desperationem, indicans unde sit paratum auxilium, & cui debeamus ac-
 ceptam ferre gratiam, & salutem omnē, quod qui prius habebamus aures pa-
 ceptam ad obrectationes, ad turpiloquia, ad ineptas fabulas, ad pharisaicam do-
 ctrinam, ad philosophorum dogmata, ad satanę suggestiones, nunc habeamus

patefactas ad accipiendam cœlestem doctrinam Euangelij. Proinde ingemiscat et sacerdos potius quàm seuiat in aliena peccata, doleat magis quàm irascatur, nec sibi uindictam potestatem absoluendi, sed suspiciat in cœlum, profitens acie stificans totum hoc quod sacramentorũ ritibus agitur esse uirtutis diuinæ non humanæ potestatis.

הנחן

Gen. 1. d
Ecclesi 3. 6

& ait illi: Effeta, quod est adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est uinculum linguæ eius, & loquebatur recte. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præciebat, tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.

Ait Iesus effeta, quod Syriaca lingua & uulgari Christo ac discipulis totiq; Palæstinae sonat adaperire, ut sic scribenda sit הנהחן apertus esto, non Hippo-
thea הנהחן quod Hebraice dicitur adaperire. De quo & Munsterum uide in
sua Chaldaica Grammatica. Vocẽ hanc cõmuniter omnibus audientibus intelle-
ctam, ilico secuta est uis diuina. Mox enim apertæ sunt aures eius, & solutum
est uinculum linguæ eius, et loquebatur expedite. Aures habebat apertas, qui
bus quum dominus dixisset: Venite post me, relictis omnibus obsequenissimam
uerbo Christi sequuti sunt. Linguam habebant expeditam, qui accepto spiritu
sancto loquuti sunt uarijs linguis magnaia dei. Hæc autem acta sunt seorsum
à turba. Non enim oportet prophanam multitudinem facere testem iniriati-
onis Euangelicæ, ne rideat quod nondum uel intelligit uel credit. Iesus itaq; præ-
cepit, ne cui dicerent, non quod nollet sciri quod gestum erat, sed quod uirtus
tem cœlestem melius ipsa res loquitur quàm hominum prædicatio. Omnes no-
uerant surdum & mutum: nunc is audiebat & loquebatur, sic uel tacitus præ-
dicabat beneficium Iesu. Quicquid homo facit præclari cupiat esse tacitum, ut
fileatur hominis gloria, & prædicetur gloria dei. Periculose laudatur homo, sed
merito prædicatur potestas & bonitas dei. Quanquam nec hominis gloria sile-
tur, si quæ tamen est hominis gloria. Imò sæpenumero quo magis uitatur, hoc
magis sequitur. Atq; hic debet esse affectus Euangelici uiri, ut quod ad ipse uere
attinet, cupiat soli deo notus esse, & probatus creatori suo. Atq; hoc ipso uere
dignior est, qui prædicetur apud homines. Quisquis enim affectat gloria apud
homines, hoc ipso indignus est gloria. Proinde quod Iesus interdixit his qui
mutum adduxerant, ne cui dicerent quid esset actum, hoc ipsum magis prouo-
cauit, ut apud omnes prædicarent, atq; hoc uehementius suspiciebant magni-
tudinem Iesu, qui cum talia posset ac præstaret, non solum nihil exigebat præ-
mij, uerum ne gloria quidem tam insignis facti frui cupiebat. Sed ut est hominis, hoc
nis uere benefici, non exigere laudem pro beneficio: ita grati est hominis, hoc
impensius referre gratiam, quod qui beneficiũ dedit nullam expectet gratiam.
Itaq; passim illi prædicabant de Iesu, dicentes: Bene omnia fecit: & surdis red-
didit auditum & mutis linguam. Hæc laus in solum deũ competit. Quæ si in
talium benefacit omnia. Omnia Iesu miracula nostra erant beneficia. Quæ si in
xtra speciem rerum corporalium expendas, erant multo splendidiora quàm hoc
quo ex surdo fecit audientem, ex mutuo loquentem. Sed iuxta sensum spiritua-
lem summa felicitatis in hoc est, ut homo auribus audiat sermonem Euangeli-
cum, & quod didicit crediditq; loquatur. Vbi & notandum, plures a Christo
fuisse surdos & mutos sanatos, ut habetur Matthæi 15. quorum tamen aliquis
ut hic, fuerit nobilior, & cæteris mirabiliiori modo sanatus.

Caput

CAPVT VIII.

In illis diebus iterū cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent, cōuocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducant, & si dimiserō eos ieiunos in domum suam, deficient in uia: quidam enim ex eis de longe uenerunt.

Varijs exemplis dominus Iesus suos discipulos hortatur ad perpetuam beneficentiam, cuius præcipua pars est rudem populum pascere doctrina Euangelica. Proinde repetit exemplum pascendi, ne posset excidere, quod sic toties esset infixum. Accidit enim quodam tempore, ut in locum desertum ingens hominum multitudo conflueret ad Iesum, deferens secum multos varijs malis obnoxios. Clementissimus dominus sanabat omnes corporum morbos, animos uero cœlesti sermone pascebat. Hac benefaciendi promptitudine adeo sibi deuinciebat animos multitudinis, ut ab eo non posset diuellī. Dumq̄ totis animis intenti sunt regno dei, non uenerat in mentem prospicere de comœatu, adeo ut sanatis corporibus pastis animis de fame periclitarentur. Iesus autem ipsa re docere uolens apostolos, nihil omnino defuturum his qui sincera fiducia adherent ipsi, dicit illis: Misereor me huius multitudinis: nam etiam iam triduum ieiunos, periculum est ne deficient in uia, priusquam domū perueniant: nam quidam uenerunt de longinquo. Hac oratione dominus excitauit suorum animos ad futurum miraculum.

Et responderūt ei discipuli sui: Vnde istos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. Et præcepit turbæ discumbere super terram.

Discipuli rudes ac rursus obliti quemadmodū ante pauissent numerosam multitudinē quinq̄ panibus & duobus piscibus, respondent hunc in modum: Vnde possit aliquis tam immensam multitudinem biduano ieiunio famelicam explere panibus hic in solitudine, etiam si nobis suppetat pecunia? Audis uocem obliuionis & dissidentia. Rursum Iesus: Quot panes habetis? Illi inspecto comœatu responderunt: Septem. Nimirum hic erat uere panis Euangelicus, triticeus non ordeaceus, quemadmodum superiores illi, quo aluntur filij, nec proiectur canibus. Habet ordeum suram medullam, sed scabro opertam tectorio. Habet & Mosi pentateuchus sensum spiritualement, sed figurarum inuolucro tectum. Creuit numerus panum, sed detractum est tectorium, quoniam aucta est gratia, & detractum est ceremonijs. Quum uero comœatus hic non uideretur suffecturus tantæ multitudini, tamē Iesus iussit omnes discumbere super terram. Felix conuiuium ubi famelica turba discumbit iussu Iesu. Id fit quoties populus auidus sermonis Euangelici, conuenit in Basilicam, auditurus Iesum per os boni concionatoris loquentem. Nam multi non animo alio ueniunt in sacram concionem, quàm quò uulgus solet uenire in theatrum, spectaturū prophanā fabulam. Qui uult saturari panibus Iesu, discumbat oportet, idq̄ super terram. Compositis affectibus huc ueniendum est, non merentur hunc cibum qui supini resident in lectis pharisaicæ philosophicæq̄ doctrine. Iam discubuit in terram multitudo. Nunc mihi specta quid agat Iesus.

Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, & dabat discipulis suis ut apponerent, & apposuerunt turbæ. Et habebant pisciculos paucos, & ipsos benedixit, & iussit apponi,

Vt ostenderet à deo proficisci, quicquid conducit ad salutem hominis, sit stultit in cœlum oculos, ubi ipsius pater habitat, unde iussit quotidie peti panem hunc, & gratias egit, non sibi vindicans auctoritatem eius muneris, ne quid simile aliis quoque sibi vindicaret homo purus. Nã poterat ille sibi vindicare tantamquam æqualis patri: quanquã & iuxta diuinam naturam quicquid est aucthoritatis debet patri, sed magis cõducebat ad nostram disciplinam exemplum quod exhibuit. Gratijs actis fregit, fractos tradidit discipulis suis panes, ut sicut acciperant apponerent turbæ. Non est efficax hominis sermo, nisi prius conrectatus manibus Christi. Habes eloquentiam, habes philosophiã, habes ingenium, quicquid habes prius trade manibus Christi. Consecret ille quod habes, frangat ille, iamque non uelut tuum, sed ab ipso acceptum & traditum, populo apponet. Sunt enim qui frangunt panem scripturæ diuinæ non ut oportet, detorquentes eam ad cupiditates hominum, non ad uoluntatem dei. Iesus enim frangit ut saturetur multitudo famelica, non ut principum ambitioni aut auaritiæ seruiatur. Quisquis ad quæstum, ad humanam gloriam, ad alias humanas cupiditates docet Euangelium, non accipit panes à Christo fractos. Imitemur igitur in prædicando sermone Christi, Christi discipulos. Vt iussi erant fractos panarium est conuiuium: Non oportet multum addi panibus Euangelicis: nihil illis efficacius, nihil suauius. Et tamen ex benignitate conuiuatoris adduntur pauci pisciculi. Fortassis aliquid epularum addent apostoli, sed hoc & pusillum est, & minimi momenti, si ad apparatus Euangelicum respicias. Datur hoc additamentum quorundam fastidio, sed non oportet ultra requirere. Sufficere debet hoc obsonij, ne si quis de suo pergat addere quod libet, tam paucum fiat conuiuium, non Iesu Christi. Nam Iesus & hos pisciculos, licet paucos & pusillos, consecrauit, et iussit apponi: quod ni fecisset, non erant apponendi. Noli quærere de frugalitate obsonij, alioqui si patieris inferri rhetorum placentiam, si philosophorum magnificos missus, si pharisæorum insipida iura, tam peccatum satureti discedamus ab Euangelico conuiuio, faciant doctores quod fecerunt apostoli, faciatque populus quod fecit illa multitudo. Apostoli sicut acceperunt à domino, sic apponunt turbæ, nihil hæsitantes, nihil disputantes. Multitudo item quieta, nihil obmurmurans accipit, bonique consulit quod datur. Itaque sint fragmentis reliquiarum, quæ saturis superauerunt.

& manducauerunt & saturati sunt: & sustulerunt quod superauerunt si quatuor milia, & dimisit eos.

Quo magis demireris, qui ad saturitatem comederunt, erant ferme quatuor hominum milia. Nimirum hæc est opulentia sermonis Euangelici. Quoties accedit superbus doctor, multo disciplinarum, multo literarum, multo legum & constitutionum apparatu instructus, sic ut undique exuberet, clamitans non sufficit dicenti tempus, concionem non esse capacem rerum tam sublimium, se se obsequi rui copia & ancipitem fieri, unde debeat ordiri: nonne fieri uidemus, ut concio

discedat famelica? Tantum abest ut quicquam supersit. At è Iesu frugali paracoq̃ conuiuio supersunt sportæ septem. Copia enim ac dapsilitas Evangelicæ conuiuij, non est sita in multitudine disciplinarum, ueluti ciborum generibus, ad fastidium usq̃ multis, aut in condimentis ex omnium humanarū literarum mixtura confectis, sed in uirtute sermonis à deo traditi, bonaq̃ fide dispensati. Ita pastos fideles dimisit Iesus. Est & hoc aliquid, feliciter discedere à conuiuio Iesu. Sic autē dimittuntur qui gratias agunt, qui ipsius beneficentia recondunt in animo, & concoquunt quod acceperunt, qui domum reuersi ueluti saginata-tiore corpore, factis exhibent quod didicerunt.

Et statim ascendens nauim cum discipulis suis, uenit in partes Dal-

Math. 16. 9
Luce 12. 8

manutha. His rebus ita gestis Iesus confestim aliò properat. Non est pastori uersandum cum multitudine, nisi cum iuuanda est. Sanarat ægrotos, docuerat, paue-rat periclitantē fame. Post hæc hærere uidetur expectantis aliquid gratiæ. Om-nibus quidem modis subleuāda est egestas multitudinis, siue corporalis urget necessitas siue spiritualis, sed sic est natura populi, pro minimis beneficijs solet maximas agere gratias. Leuissimi beneficij est alere corpus, maius est sanare, maximum sacra doctrina sanare ac pascere animum. Pro doctrina proq̃ sanatis morbis nemo regnum detulit Iesu, pro cibo detulerunt. Id ne rursus fieret, Iesus ilico reliquit multitudinem, & conscensa naui cum discipulis quos perpe-tuos comites sibi delegerat, uenit in fines Dalmanutha, siue aliò nomine dicta Magedan, sita regio inter lacum Genesar & Tabor montem.

Et exierunt pharisæi, & cœperunt conquirere cum eo, querentes ab illo signum de cœlo, tentātes eum. Et ingemiscens spiritu, ait: Quid generationis ista signum quærit? Amen dico uobis, si dabitur generationi

Quo sapius patefiat pharisæorum incredulitas huc egressi sunt, non ut sa-turentur, sed ut calumniarentur. Inuidebant enim miraculis Iesu, inuidebant & populo tot beneficijs adiuto. Cœperunt itaq̃ disputare cum Iesu, quasi mira-cula quæ promebat non gererentur uirtute cœlesti, quod essent humilia & ple-beia. Proinde si uellet pharisæos, homines longe supra uulgus positos, quasiq̃ cœlestes, sibi credere, exigebant ut signum aliquod egeret è cœlo. Quemadmo-dum Moses impetrauit manna è cœlo, & Elias precibus suis effecit, ut ignis sur-bit de cœlo consumeret & holocaustum & ligna, & aquā deniq̃ quæ constiterat in lacunis iuxta altare. Dominus autem sciens illos calumniaturos, quicquid fecisset (Probabilius enim poterāt tribuere Beelzebub, si quod ostensum è sublimi proditum fuisset, ubi uersantur principes tenebrarum harū, præ-ferim quum magorum familiare sit subito ciere imbres, excitare tonitruum ac fulmen, mouere grandinem ac tempestatem, quàm ea quæ oculis uidebant, au-ribus audiebant, & manibus contrectabant.) Ingemuit spiritu, declarans se do-lere de illorum incredulitate tam pertinaci. Ac uelut indignās apud sese loquu-tus est: Quæ nam est hæc natio tam peruersa, ut tot uisis miraculis adhuc signū requirat, quasi nullum antehac uiderit? Deinde conuersus ad pharisæos, ait: Illud confirmo uobis, non dabitur nunc huic nationi signū, quod tentandī gra-tia postulat è cœlis, sed dabitur signum quod non expectat ex inferis, id erit si-gnum Ionæ. Ille cum tribus diebus absorptus crederetur & extinctus, præter omnium spem redditus est è uentre ceti. Sic filius hominis ad triduum abditus

in sinu terræ, præter expectationē uestram rediuitus exiliet. Hunc fermentem quum non intelligerent pharisæi, reliquit eos ueluti deploratos, ac reuersus ad nauim transmisit lacum.

Matth. 16. 4

Et dimittens eos, ascendit iterum nauim, & abiit trans fretum. Et oblitū sunt panes sumere, & nisi unum panem non habebant secum in nauī.

Domīnus Iesus sitiens humanæ salutis, subinde uertit solum, non uicinas quærens, quarum iam olim satur erat, sed fidem. Eam autē ægre inuenit in terris, sed ubiuis potius quàm apud sacerdotes, scribas, pharisæos, ac populi primores. Ad eò male conuenit Euangelicæ fiduciæ cū his qui pollent huius mundi commodis. Hic inter nauigandum nō ueniebat in mentem discipulis, quod per obliuionem sibi non prospexissent de panibus; nam unum dumtaxat panem secum habebant in nauī. Iesus autē sciens illos obliuione securus esse, non fiducia erga ipsum, reuocauit admonendo curam. Quanquam hæc sollicitudo non tam ex diffidentia proficiscatur quàm ex incogitantia & obliuione humana. Intentis ihs quæ dicebat & faciebat Iesus, nō succurrebat de panibus; & non quo expediebat illos frequenter obliuisci, quinque panibus satiata multitudo, quo uidelicet nostris animis altius infingeretur nihil defuturum his qui synce ro corde adherent Christo. Satis prospectum est illi nauī, quæ unicum habet panem qui est Christus Iesus.

Et præcipiebat eis, dicens: Videte & caute à fermento pharisæorum, & fermento Herodis. Et cogitabant ad alterutrum, dicentes: Quia panes non habemus.

Voluit dominus Iesus discipulorum suorum elicere sollicitudinem, quod mereretur, ac præcepit eis, dicens: Videte diligenter ut caueatis à fermento pharisæorum, atque à fermento Herodis. Ea uox audita quidem sed non intellecta, reuocauit discipulis seram sollicitudinem prouidendi de comæatu. Itaque ceperunt inter se murrare: Panes non habemus; aliud enim ex alio uenit in mentem. Audito fermento reminiscuntur panum omissorum. Hac de re tacite murrant, quasi peccassent incogitantia, quod panes non emissent. Verum hæc obliuio grata est Iesu, quoties ardore cœlestium obliuiscimur rerū corporalium. Verebantur obiurgari de negligentia, sed obiurgantur de superuacanea cura. Quid, inquit dominus &c.

Ioan. 6. 6

Quo cognito, Iesus ait illis: Quid cogitatis quia panes non habetis? nōdum cognoscitis nec intelligitis? adhuc cæcatū habetis cor uestrum: oculos habentes non uidetis; et aures habentes non auditis. Nec recordamini quando quinque panes fregi in quinque milia, & quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei: Duodecim. Quādo & septem panes in quatuor milia, quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei: Septem. Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis?

Quid, inquit dominus, disputatis inter uos solliciti, quod nō habetis panes? Tot præceptis instituti, tot exemplis edocti, toties admoniti, nondum animaduertitis nec intelligitis? Adhuc cor habetis occæcatum, & oculos habetis non uidetis, & aures habentes nō auditis? Non saltem illud memoria tenetis, quod nuper bis exhibitū est uestris oculis? Vidistis nuper quinque panes à me fractos, à uobis distributos, suffecisse quinque milibus hominum usque ad saturitatem. Et quot

quot reliquiarum sportas tum sustulistis? Aiunt: Duodecim. Deinde quum simili modo septem panes sufficerent quatuor milibus, quot cophinos implestis reliquijs? Dicunt: Septem. Tum Iesus: Qui fit igitur, ut toties tot modis edocti nondum intelligitis istam de uictu sollicitudinem esse superuacaneam? quod quoniam monui de uitando fermento pharisæorum & Herodis, non pertinere ad panes, sed ad doctrinam illorum uitandam, ne & uos seducamini, quemadmodum illi seducunt multos? Paululum fermenti totam afficit consersionem: quod si uitiosum est, corrumpitur tota consersio. Præ se ferunt speciem pietatis, quum plurimum absint à uera pietate. Atque inter se dissident opinionibus, quum turpius uina scripturæ, non credentes futuram corporum resurrectionem, propterea quod nihil esse credant, nisi quod uident, uel quia Herodem primum docent fuisse Messiam promissum in lege. Pharisei quum teneant scripturas, excæcatis malis cupiditatibus reluctantur ueræ pietati. Ab horum doctrina uobis sum mopere cauendum est, ne & ipsi inficiamini, & alios post inficiatis uestro contagio, sed amplectamini panem Euangelico fermento affectum, ut hunc syncerum & alijs distribuatis.

Et ueniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum, et rogabant eum ut illum tangeret. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra uicum, & exiens in oculos eius impositis manibus suis, interrogauit eum si quid uideret. Et aspiciens ait: Video homines uelut arbores, ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos eius, & cœpit uidere, & restitutus est, ita ut clare uideret omnia. Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam, et si in uicum introieris, nemini dixeris.

Interim appellant & ueniunt Bethsaidam, & ecce nusquam non parata est promenda misericordiæ occasio. Hic in uico quodam adducunt ad eum cæcum, qui per se accedere non potuisset, rogantque fideles ut eum contingeret dominus. Nihil rogat cæcus, sed alienis precibus commendatur domino. Nemo petiuit salutem à domino Iesu, nisi contactus ab illo: primus enim contactus efficit, ut homo seipsum agnoscat. Non erat ille lusciosus aut leuiter cæcutiēs, sed profundissima cæcitate obrutus. Qui sic cæci sunt, opus habent ut ab alijs adducantur ad Iesum, qui illi sacræ manus efficacem contactum precibus exorent. Iesus autem qui nutu poterat sanare quemlibet cæcum, non statim restituit hominem, ut discipulis suis formam exhiberet, quantum laborandum sit priusquam ad ueri cognitionem queant adduci qui in errore iam inueterauerant: qualis erat gentium cæcitas, quæ tot sæculis simulachrorum cultum pro magna pietate fuerant amplexatæ: qualis erat Iudæorum, qui superstitionem à maiorem cum talis cæcus occurrerit, quid faciendum erit apostolico uiro? Animaduerte quid fecerit Iesus. Primum apprehendit cæci manum. O felicem ducem. Sed qui sequitur multitudinem. Male sibi blandiuntur qui sic dicunt: Non solus hoc facio, idem faciunt omnes: Malo cum populo desipere, quam cum paucis sapere. Qui capti sunt oculis multis periculis expositi sunt, uersantes in turba ridetur, offenduntur, impingunt, protruduntur, subinde concidunt. Primum igitur educendus est ex hominum frequentia. Tuto iam ambulat, qui talem habet ducem. Quid præterea facit dominus? Expuit in oculos, & mox admouit man-

num: necdum aperiuntur, tam profunda erat caligo. Tum Iesus interrogat hominem ecquid uideat. Ad hanc uocem ille ueluti concepta specula quadam, at tollit oculos, & ait: Video homines ambulantes arboribus similes. Qui nondum planè receperunt Euangelicam lucem, quicquid uidet in hoc mundo, maius esse uidetur quam est ipsa re. Vident opulentum hominem, platanus esse uident. Vident magistratum aut principem, credunt se uidere malum aut cupressum. Vident barbaturum Stoicum, aut pharisaeum latis fimbrijs ac phylacterijs insignem, ficum esse credunt. Quod si purgatis oculis res illis ut sunt sese ostenderent, tum cernerent quam nihil sint illa, quae caecucienti uidentur esse ingentia. Sed dominus qui linum fumigans non extinguit, nec caecucientem delituit, donec perfecte cernat: rursus admouit manus oculis illius, ac mox cepit esse perspicacior, eoq; profecit, ut clare uideret omnia. Beatus qui à Christo illustratus oculis cordis, clare cernit omnia. Huic minima uidentur, quae mundo uidentur esse maxima; huic foeda uidentur, quae mundo uidentur esse pulcherrima. Quisquis es doctor euangelicus, noli spernere imbecillitatem eorum qui primum instituuntur in Euangelica philosophia. Primum satis est educativa doctrina, hoc est à pristinis malis discessisse: mox admouenda est eis Euangelica doctrina, quae lucem det oculis, ac primum tradenda sunt rudimenta perfectionis Euangelicae, quibus initiati baptizentur: mox communicanda est secretior scilicet doctrina, quae faciat, ut clare uideant omnia. Haec facient ministri Iesu Christi, sed Iesus occulta uirtute dignabitur oculos caeci contingere, ut lucem recipiant. A dato beneficio dominus iubet hominem redire in domum suam, ut lucem quod factum est, docet sacerdotes non esse quarèdam apud homines gloriam, nisi quid recte gesserint in Euangelica functione. Porro si quando iubet praedicationem, decet eum qui sanatus est à peccatis, & suam turpitudinè agnoscere, & Deum bonitatè efferre, cui soli debet quod mutatus est. Porro redire in domum suam, est post acceptam coelestem gratiam non obliuisci qualis antea fuerit, & quo relapsurus sit, nisi dei beneficio cõseruetur. Quod si domum redeuntis contingat incidere in uicium aliquod, hoc est in prophanam multitudinè, quae citius irrifura sit q̄ creditura, non sunt illic temere iactanda nostrae initiationis mysteria.

Matth. 10. b
Luce 9. c

Et egressus est Iesus & discipuli eius in castella Caesareae Philippi, & in uia interrogabat discipulos suos, dicens eis: Quem me dicunt esse homines?

Explorat ex discipulis ex corporaliter gestis, quantum ipsi profecerint iuxta spiritum. Relicta itaq; Bethsaida profectus est una cum discipulis in oppidum Caesareae, cui cognomentum est Philippi. Inter eundem autem interrogabat discipulos suos, quid de ipso uulgus hominum sentiret. Iam enim tot aditus miraculis oportebat & populum mirificam quandam de Christo concepisse opinionem. Non ignorabat Iesus quid de ipso sentiret uulgus, sed nobis declarare uoluit quae sit Euangelica fides, quae seruat credentes, quantumq; distet ab incogniti simplicitate quod audierant responderunt: Alij suspicantur te esse Ioannem Baptistam, qui reuixerit: alij Eliam Thesbiten, cuius aduentus promissus est per Malachiam prophetam: alij rursus non Eliam, sed alium quempiam ex ueteribus prophetis, qui reuixerit. Hec sentiebant homines, qui tamen magnificèntissime de Christo sentiebant: nihil enim supra hominem de eo sentire poterant homines.

homines. Magnum hominem suspicabantur Messiam filium dei, seruatorē orbis nondum credebant. Erat hoc tamen qualecunq; rudimentum professionis Evangelicæ, cuius mysterium nondum erat uulgo prodendum, quo proditor nemo poterit consequi salutem, nisi qui credat Iesum esse salutis omnis auctorem. Fons autem Evangelicæ salutis fiducia est erga Christum dei filium diuinitus inspirata.

Qui responderūt illi, dicentes: Alij Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij uero quasi unum de prophetis. Tūc dicit illis: Vos uero, quem esse dicitis? Respondens Petrus, ait ei: Tu es Christus. Et comminatus est eis ne cui dicerent de illo.

Hęc professionem ut ex apostolis proliceret, ait: Vacillat ut uideo uulgus, nihil constanter de me sentiens, & tamen magnificentius de me sentiūt, quam hi qui me nihil aliud prædicabant quam fabri filium, quam qui dicebāt me uerum in furorem, & uenabantur ad uinacula, quam qui dicebant mihi esse spiritum Beelzebub. Vos autem qui me domestice nostis, qui perpetui testes fuistis omnium quæ gessi, quæq; docui, quem me esse pronunciatis? Tum Petrus Evangelicæ professionis primarius, omnium nomine respondens, ait: Tu es ille Messias a prophetis olim promissus, filius dei uiuī, per quem unum salus est orbis promissa. Hanc professionem quum dominus uehementer approbasset, ut diuinitus inspiratam, huic beatitudinis elogium tribuisset, hanc pronunciaisset fundamentum congregationis & ciuitatis Evangelicæ, quod nulla uis satanæ possit unquam labefactare, interminatus est illis, ne quod scirent ex afflatu patris palam facerent ante tempus. Expectari Messiam expediebat, ac breui uenturum credere, cæterum nondum expediebat agnosci Iesum esse Messiam. Sic enim expediebat ad institutionem nostram, ut ex humilitate nasceretur gloria.

Et cœpit docere eos quoniam oportet filium hominis pati multa, & reprobari a senioribus & a summis sacerdotibus & scribis, & occidi, & post tres dies resurgere. Et palam uerbum loquebatur.

Discipuli humano affectu abhorrebant ab incommodis domini sui, sitientes illum ab omnibus affectu abhorrebant ab incommodis domini sui, sitientes illud ab omnibus haberi, sed alius ordo placuit aternæ sapientiæ. Proinde Iesus cœpit illos docere quæ passurus esset, priusquam orbi magnitudinem suam uellet innotescere. Oportet, inquit, filiū hominis de quo uos tam magnifice sentitis multis ignominijs & cruciatibus affici, damnari ut nocentem a scribis & sacerdotibus ac primoribus populi, deniq; ut maleficum morte profusa occidi, sic ut apud mundum nihil esse possit eo deiectius aut desperatius. Sed non est quod despondeatis animum, tenete professionem uestram constantem in animo, quā apud me professi estis; occisus resurgam, ac reuiuiscam tertio die. His de rebus quum Iesus aliquoties subobscurè monuisset discipulos suos, nunc palam locutus est, quum uiderentur latenti, qui magnifice pronunciasent de domino suo. Sed non tulerunt illorū aures mentionem mortis, tametsi spes resurrectionis debebat eos cōsolari. Magno quodam affectu diligebāt Iesum, sed humano. Nondum enim acceperant spiritum cœlestem, qui perficeret in eis quod erat imperfectum.

Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum. Qui conuersus & uidens discipulos suos, comminatus est Petro, dicēs: Vade retro me satana, quoniam non sapis quæ dei sunt, sed quæ sunt hominum.

Petrus quum audiret tam crudelem sermonem de damnando, de affligendo, de occidendo, ausus est Iesum seducere, quasi priuatim aliquid admoniturus quod esset in rem ipsius. Hæc nimirum est humana sapientia, sæpe medicis præire diuinæ. Audet etiam increpare dominum suum, quasi non recte saperet qui mori uellet, quum liceret effugere. Et si credebat illum tertio die reuiuiscere, tamē prestabilius iudicabat omnino non mori quàm à morte reuiuiscere. Hæc improbitas Petri tamen ex ingenti quodam erga Iesum amore proficiscitur, tamen & palàm & acriter à domino redarguitur, ut nos disceremus in omnibus diuinam sequi uoluntatem, neq; nostro iudicio præire decreuissemus. Non enim est hominis apprehendere Iesum, & increpare ne faciat quod decreuit facere; sed adorandus est, ut nos dignetur apprehendere, ducturus quo uelit. Hoc igitur malum ut Iesus penitus reuelleret ex animis omnium, primū a Petro, & conuersus ad discipulos suos, eosq; intuitus, quos sciebat à Petro non dissentire, tamen ille cæteris fidentior, ausus est quod sentiebat prolosatana: Ea uox Syris & Hebreis aduersarium sonat. Cur præire tentas discipulus præceptoris: homo deo? Sequere potius à tergo. Non est hoc humanum negotium quod geritur, tuus adhuc humanus est affectus, nec sapis ea quæ dei sunt. Si uis esse discipulus meus, imitari mortem meam decet, non impedire. Nec hoc te solum decebat, quanquam te potissimum ceterosq; selectos, uerum etiam omnes qui se meos discipulos uolent profiteri.

Matt. 10. d. 10. d
Luc. 9. c. 14. f
17. g

Et conuocata turba cum discipulis suis, dixit eis: Si quis uult me sequi, deneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

Iesus iussit adesse multitudinem uniuersam unà cum discipulis, ne quis existimaret hunc sermonem ad illos dumtaxat selectos pertinere. Iamq; congregatis in unum omnibus, clara uoce locutus est Iesus: Multi me sequuntur pedibus magis quàm imitatione & fide. Nec omnes eadem adducit causa, alios adducit miraculorum nouitas, alios amor sanitatis, alios doctrinæ fames. Cæterum quisquis uolet esse uerus affectator mei, si uolet esse socius felicitatis & gloriæ, pariet interim animum suum, ut sit socius afflictionū & mortis: abneget semetipsum, nihil sibi seruans in hoc mundo, sed omnia pro derelictis habens usq; ad uitæ contemptum: tollatq; quisq; suam crucem, et sequatur me. Non pudeat discipulum sequi præceptorem, nō pudeat seruum sequi dominum. Nec alia uia quisquam uelit ad gloriā peruenire, quàm qua me uiderit prætere.

10. d. 12. g

Qui enim uoluerit animam suam saluam facere, perdet eam, qui autem eam perdidit animam suam propter me & Euangelium, saluam eam faciet.

Quisquis in se præsidia salutis collocarit, peribit: quisquis omnibus suis præsidijs diffusus se totum in me coniecerit, is saluus erit. Nec enim satis est agros, domos, parentes, uxores, ac liberos mea causa negligere, ipsa etiam uita negligenda est, cuius seruandæ gratia mortales deserunt uniuersa. Bono animo claudite, non perit quod mihi impenditur. Imò perdēdo seruabitis quod male seruando uere perderetis. Per fidem Euangelicam confertur omnibus uita æterna.

Quid enim proderit homini, si lucretur mundū totum, & detrimentum animæ suæ faciat? Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua?

Qui pluris facit hanc uitam quàm Euangelicam gratiam, etiam si uiderit ad tempus

tempus lucrificare uitam, tamē reuera perdit eam. Nullus em̄ hic uitam suam ultra præscriptū diem ualet prorogare, tametsi nec interim uere uiuit, nisi qui pie uiuit, & post hanc uitam, quæ nulli non breuissima est, additur æternæ uitæ. Porro quisquis amore mei & Euangelicæ professionis constantia uitā suam exposuerit in discrimen mortis, per me seruabit eam, alioqui uere perituram. Proinde si nihil cuiquam tam charum est, cuius factura non libens redimat uitam corporis, sic apud se rem expendens: Quid mihi profuerit seruassee domū, agros, opes, gemmas, uxorem, liberos, si ipse pereo, nec licebit frui quod possideo: Quamuis enim hæc omnia salua sint, tamen mihi pereunt, si moriar: quid enim potest esse tam charum, quod non contemnendum sit pro lucro uitæ perennis: Si quis offerat opes Mydæ Cræsiq; si quis formā Absalonis, si monarchiam totius mundi, si uoluptatum omne genus, dicatq;: Hæc accipe & morere, nonne statim recuset conditionem delatam, dicatq;: Vna uita charior est his omnibus: Hæc, inquam, quum apud se quisq; prudenter expendat, quoties periclitatur uita corporis, cur nō attentius subducitur ratio, quoties agitur de uita illa inæstimabili: Nunc offertur animæ uita perennis, & cum hac non commutabis breuem ac miseram uitā corporis, præsertim cum corpus quisq; suam feliciorem uitæ redditum sit recepturus: Non erit omnibus ob Euangelij professionem moriendum, sed tamen in hoc omnibus debet esse animus paratus, ut si res postulet, uilis sit etiam uita corporis, dum seruetur uita animæ.

Qui enim me confessus fuerit & uerba mea in generatione ista adu-
tera & peccatrice, & filius hominis confitebitur eum cum uenerit in gloria patris sui cum angelis sanctis.

Quoties ingruerit persecutionis procella, tollenda crux erit quando nec in tranquillibus, omnibus huius mundi uoluptatibus & irritamentis renunciare, castrare carnem, refrenare luxum, premere libidinem, domare iracundiam, condonare uindictam: nam hæc in tranquillitate quoq; cuiq; præstanda sunt, qui uelit meus esse discipulus. Cæterum mundus omnibus machinis consurget aduersus mei nominis professores, intentabit probra, exilia, carceres, tormenta, proscriptiones, mortes. Est enim hæc natio praua, semper plures habitura manolos quam bonos, inter quos summi criminis loco habebitur profiteri nomen meum. Quo in statu si quem puduerit profiteri se meum esse discipulum in hac natione scelerata & adulterina, ubi breuem afflictionem sequitur æterna felicitas, huic filius hominis par pari referet, ac uicissim erubescet illū profiteri suum discipulum, quum rursus adueniet non humilis & contemptus ut nunc, sed admirandus in gloria patris, nec comitatus paucis ac tenuibus discipulis, sed cinctus innumeris sanctorum angelorum turmis.

Matth. 10. d
Luce 9. c. 12. b

CAPVT IX.

T dicebat illis: Amen dico uobis quia sunt quidam de hic stan-
tibus qui non gustabunt mortem, donec uideant regnum dei
ueniens in uirtute.

Matth. 16. d
Luce 9. c

Gloriæ Christi consortes non erūt, qui non ferre uolunt crucis ignominiam. Expectabat Iudæorum populus admirabile quoddam regnum Israelitici populi, quod mox exoriturum sub Messia rege arbitrabantur, ideoq; non poterant credere Iesum esse Messiam, quod tam humilis tam abiectus aduenisset: magis

autem offendebantur mentione crucis ac mortis. Non intelligebant autem duplicem Messiae aduentum: priorem iuxta mundū humilem & ignominiosum; alterum maiestatis & gloriæ plenum, et eum quoque duplicem: unum statim ab ascensione domini in cœlum, per prædicationē regni illius & propagationem fidei in solum ipsum toto orbe terrarum feliciter & cito diffusam per apostolos ante Hierosolymę destructionem, Paulo adhuc uiuente & Petro, simul & Ioanne Euangelista, alijsq; quibusdam. De quo aduentu Christi hic Christus dicitur uideri. Viderunt enim plures apostoli ante suam mortem gloriam Christi diffusam in omnes gentes, casum idolorum, cessationem idololatriæ, Judæorum quoque miseras multas, & imminētem destructionem templi, glorię Christi Euangelizationem aspexerunt carnalibus oculis. Alterum quoque aduentū Christus promisit ad iudicium uniuersale in fine mundi, quando uniuersum corpus suum omnibus exemptum malis sibi iunget in gloria patris. Itaque cum essent in turba qui sic cogitarent apud sese: Quando ueniet hoc tempus glorię quod promittit Iesus: hoc sermone cōfirmabat illorum uacillationem: Habere, inquit, pro indubitato, filium hominis statim moriturum cum ignominia, appariturum in summa maiestate toti mundo, accepturum regnū in omnia quę sunt in cœlo & in terra, adorandum ab omnibus mundi regibus & regnis. Statim enim post mortem & missionem spiritus sancti cœpit exere se uis illa grati sinapis, hoc est Euangelicę doctrinę. Porro ne quid addubitarēt discipuli, quā olim præstaturus esset quod etiam de maiestate secundi aduentus promiserat, uoluit illis etiam ante mortem gustum quandam futurę maiestatis exhibere, quatenus natura mortalis capere posset.

Matth. 17. d
Luca 9. d

Et post dies sex assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem, & ducit illos in montem excelsum seorsum solos, & transfiguratus est coram ipsis. Et uestimenta eius facta sunt splendentia & candida nimis uelut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.

Adiungit sibi Christus tres ex selectis duodecim uelut eximios, quibus hoc spectaculum crederet taciturnis donec tempus esset proferendi. Eos ducit solos in montem uehementer excelsum. Procul enim oportet esse ab humilitate rerum sollicitudine, quos Iesus dignatur tali spectaculo. Dignatur enim & hodie quibusdam selectis, subuectis in montem purę contemplationis, aliquem æternę felicitatis gustū præbere secretis afflatibus. Hoc non intelligit populus in campis uersans, & si quis narret non habet fidem. Vbi uentum est in montis cacumen, primum uacatum est precatiōi; hæc potissimum oculos mentis præparat tali spectaculo. Et ecce inter precandum subito mutata est Iesu species: species enim quę prius uisa est nihil differre à forma uulgari, solis in morem resplendebat. Tum uestes plusquam niueo quodam candore relucebāt, qualem nemo fullorum potest arte sua pannis inducere. Transformationem autem intellige non characteris & lineamentorum immutationem, sed manente forma, qualis prius erat, ineffabilis lucis & glorię factum est augmentum. Montem illum excelsum quidam intelligunt Tabor. Verum cum dominus illo tempore fuerit in finibus Cæsareę Philippi, ubi est Libanus mons insignis, & celebratus scripturis, & Isa. 35. Gloria Libani data est ei. Decor Carmeli & Saron. Ipsi uidebūt gloriam domini, & decorē dei nostri. Is fortē uideri potest fuisse mons ille excelsum, de quo tamen fuerit superuacaneum disputare.

Et apparuit illis Elias cum Moysē, & erant loquentes cum Iesu. Et

responsa

gelice, quanto magis deceat ad imbecillium capacitatem temet submittere, qui & clim talis fueris, & si quid habes sublime, Christi est non tuum. In descensu uero montis priusquam ueniretur ad coetum hominum, dominus Iesus inter alios dixit tribus illis discipulis, ne cui narrarent quod uiderant, nisi posteaquam filius hominis resurrexisset a mortuis. Alij iussi tacere, tanto magis predicabant. At hi tres quoniam audierant uocem patris, Ipsum audite, obtemperant, & silentio premunt quod uiderant, adeo ut caeteris apostolis non indicaret ante tempus praescriptum. Non intelligebant, sed tamen credebant esse causam seriam, cur dominus id nollet ante cognitam resurrectionem efferi in uulgus. Quod enim profecissent hoc narrantes, nisi quod incredulis ludibrio essent futuris. Quis autem credidisset uere talem apparuisse Iesum, quem mox uiderent rot ignominij affectum? ac denique morientem in cruce? Sed interim discipuli qui post auditam patris uocem non audebant Iesu dictis diffidere, quum non inteligerent quid sibi uellet haec uox, Vbi filius hominis resurrexerit a mortuis, disputabant inter sese, suspicantes fore ut mox a resurrectione ueniret illius regni gloria, cuius iam gustu ceperat. Sed obstat huic suspicioni scrupulus quidam, propterea quod Iesu mors immineret, de quo iam saepe illos admonuerat, & ratio a morte die promiserat se reuicturum.

Malach. 4. b

Isaie 53. b

Malach. 4. b

Regnu Christi.

Et interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt pharisaei & scribae quia Eliam oporteat uenire primum? Qui respondens, ait illis: Elias cum uenerit primo, restituet omnia, & quomodo scriptum est in filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur. Sed dico uobis quia & Elias uenit (& fecerunt illi quaecumque uoluerunt) sicut scriptum est de eo. Ex uaticinio Malachiae didicerant uenturum Eliam, antequam ueniret dies domini magnus. Hunc scrupulum quum ipsi inter sese parum explicarent, interrogant Iesum. Domine, inquit, praestitisti quod pollicitus es, uideamus claritatem regni dei. Itaque cum resurrexeris, talem te uenturum speramus, qualem nobis es uisus. Sed quid est quod ex Malachiae prophetia dicunt pharisaei, non uenturum illum diem, nisi prius uenerit Elias Thesbites, qui praeparat populum in aduentum illius diei, ne dominus feriat omnes anathemate. Atqui non dum uenit Elias, quem uidimus tecum in monte, neque quicquam adhuc per illum est actum. Aut igitur non statim a resurrectione tua uenturum est regnum dei, aut alius est uaticinij sensus quam tradunt pharisaei. Ad hanc discipulorum interrogationem dominus Iesus ambigue respondet, quod nondum capaces essent totius mysterij. Siquidem abhorrentes ab his quae magis ad ipsos pertinebant, tantum somniabant de gloria regni, cuius gustum ceperant, quum gentes & hoc esse regnum dei, quum propagato Euangelio in fines terrae per spiritum apostolicum ad Christi mandatum, spiritus illius Christi & coelestis subigit omnem huius mundi satanaeque potentiam. Id iam apparere ceperat, quum claudi ambularent, caeci uiderent, muti loquerentur, leprosi mundarentur, demones eijcerentur. Porro quando uenturum esset hoc regnum, cuius gustum modo ceperant, dominus noluit suos scire: sed tamen quo moderatius ferrent mortem domini sui, quem supra modum amabant, patiebatur illud ad tempus somniare, breui uenturam regni claritatem, cuius specimen erat exhibitum in monte. Itaque responsum suum temperat, ut prophetiam suam approbet, nec pharisaeorum interpretationem in totum damnet, sed tantum refellat impiam illorum argumentationem, qua colligebant, nondum uenisse regnum dei, quod Elias

Elias ille promissus à Malachia nondum apparuisset in mundo. Iam enim uenire cœperat spirituale regnum dei, quod superbi pharisæi non intelligebant. Iam Elias iuxta sensum mysticū uenerat. Ait itaq; Iesus: Et quod de Elia dixit Malachias, & quod de filio hominis prædictum est à prophetis, haud dubie futurum est. De Elia legitis, quod præueniens diem domini magnum & horribilem, conuersurus sit corda patrum ad filios, & cor filiorum ad patres, ut minores intelligant exhibitum, quod maioribus fuerat expectatum. Hic igitur Elias anteuertens restituit omnia, deprauata corrigit, ne dominus magno omnium malo ueniat, si offenderit imparatos. Sed quemadmodum uerax est prophetia Malachia de præcursore Elia, ita uerax est & cæterorum prophetia quæ prædicatur, ut filius hominis priusquam aperiat maiestatem suam multa patia contempuit & ludibrio habeatur, deniq; & occidatur. Imò quod de Elia uenturo prædictum est, iam peractum est, id quod ignoratum pharisæis ego uobis amicis indico. Nam Elias iam uenit, qui nunciauit adesse regnum dei, & ad uitæ superioris pœnitentiam prouocauit. Et tamen qui prophetia scientiam iactant, hunc non agnouerunt, sed fecerunt in eum, nō quod ille promerebatur, sed quicquid illis collibitum est, qui magis amabant suum regnum q̄ regnum dei. Venit enim ille iuxta Isaia & Malachia uaticinia uociferans in deserto adesse diem domini magnum & horribilem: iam securim admotam arboris radicis, properaret quisq; fugere uenturam dei uindictam. Sed hunc palam reprehendentem sine delectu personarum omnium uitia spreuerunt et occiderunt. Nec mitius tractaturi sunt Messiam quam præcursorem tractarunt. Hoc sermone Iesus indicabat Ioannem fuisse Eliam, non iuxta corpus sed iuxta spiritus similitudinem, qui dum nec pharisæis nec regibus parcit, coniectus est in carcerem ac decollatus est. Quod fecerunt præcursori id facturi sunt domino, idem faciēt his qui sequentur apostolis. Quisquis enim syncere prædicauit Euangelium & re iam uenisse, similia patiatur oportet. Huiusmodi dictis Iesus auocauit suos à somnio gloriae ad uenturam tempestatem quæ imminabat, hoc est à iucundis ad necessaria, à lætis ad tristia.

Et ueniens ad discipulos suos, uidit turbam magnam circa eos, & scribas conquirentes cum illis. Et confestim omnis populus uidens Iesum, stupefactus est, & expauerunt, & accurrentes salutabant eum.

Matth. 23. c

Luc. 9. c

C

Iam ingēs multitudo collecta erat circa discipulos, quos in planicie reliquerat. Vidit & scribas disputantes, nescio quid cum discipulis suis. Populus autem uniuersus ut præter spem uidit Iesum, qui se cum paucis subduxerat, obstupuit, & occurrens salutauit eum. Non est sub sole hic requies, semper occidit paruos inuidia, magnos percutiunt fulgura montes: sic Christi discipuli concutiuntur à scribis. Et semper discentes cum fide alij inuidentes cum fastu ad ecclesiam ueniunt. Quid autem hic scribæ conquisierint Euangelista non dicit. Potest autem intelligi motam fuisse quæstionem, quare discipuli dæmoniacum qui erat in medio non potuerint liberare: hoc enim ex sequentibus concipi potest, dum sequitur statim.

Et interrogauit eos: Quid inter uos conquiritis? Et respondens unus de turba, dixit: Magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum, qui ubicunq; eum apprehenderit, allidit illum, & spumat

& stridet dentibus & arefcit: & dixi discipulis tuis ut eijcerent illum, & non potuerunt.

Non interrogabat Iesus quid disceptarent pharisæi, sed tamen interrogat quid esset rei de quo disceptarēt, ut omnibus esset notū quid ageretur. Quum & discipuli pudore obticesserent, quod frustra tentassent eijcere demonium, obticesserent & scribæ, qui apud discipulos nomē Iesu uelut inefficax calūniabantur, quidam ē turba qui dederat huic disceptationi occasionem, rem ut erat exposuit Iesu, Magister, inquit, adduxeram huc ad te filium meum, obnoxium muto spiritui, à quo misere affligitur. Quoties enim corripit eum, elidit illum in terram, puerq; spumat, stridet dentibus, ac uociferatur, & interim arefcit & contabescit hac uexatione. Quoniam autem tu non aderas, rogauit discipulos tuos, ut profligato spiritu liberarent filium, Illi tentarunt nec potuerunt.

Qui respondēs eis, dixit: O generatio incredula, quamdiu apud uos ero: quamdiu uos patiar: afferte illum ad me. Et attulerūt eum. Et cum uidisset eum, statim spiritus conturbauit illum, & elisus in terra uolutabatur spumans.

Vt ostenderet dominus fidei imbecillitatem in causa fuisse, quo minus liberatus esset iuuenis, uelut indignans, ait apud se: O natio incredula, quæ tot miraculis æditis nondum adduci potes ut confidas, quamdiu uiuens in terris labor cum uestra diffidendi pertinacia: Quamdiu feram uos: Quando proficietis ad ea quæ sunt spiritus: Quando credetis ea quæ non uidetis, quum nec ea credatis quæ cernitis oculis corporeis: Adferre illum ad me. Et attulerunt eum ad Iesum, Tenax malum cui à teneris assueuit peccator, Ceterum ubi perductus est ad Iesum, magis etiam conturbatur exorta lucta inter spiritum uelle piscere cupientem, & cupiditatem ad solita reuocantem. Mox enim ut spiritus uiderat Iesum, sensit inimicam uirtutem, & corripit ac diuexat hominem. Isteq; elisus in terram uoluebatur spumans. Erat id spectaculum toti populo miserabile, uerum longe miserabilius spectaculum est, quum eadem patitur in animo peccator, magnis & inueteratis malis obnoxius. Sed nullum est malum domino Iesu immedicabile.

Et interrogauit patrem eius, Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit: At ille ait: Ab infantia, & frequenter eum in ignem & in aquam misit, ut eum perderet: sed si quid potes, adiuua nos, misertus nostri.

Dominus Iesus ut ceteri quoq; cognoscerent mali magnitudinem, rogauit patrem quantum temporis esset quod filius ei malo cœpisset esse obnoxius. Respondit &c. Audis malum in naturam uersum & atrox, & ideo pater timere non sit immedicabile. Adiecit enim: Attamen si quid potes adiuua nos. Christus in patrem incredulum crimē uertit, quasi ita dicens: Tu qui incredulus es, in causa fuisti quod non sanatus sit filius tuus. Verum hoc non illi soli dicit, sed generalem ad omnes sermonem uertit, & Iudæos omnes simul ob incredulitatem obiurgat: uerisimile enim erat, multos ex astantibus fuisse scandalizatos. Non tamen subsistit in reprehensione, sed addit quoq; medicinam, non ut se ostentaret, sed magis ut cum summa modestia sanaret puerum. Vide autem quomodo non tam suæ uirtuti quam illius fidei sanitatem tribuat.

Iesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilisunt credenti. Et continuo exclamans pater pueri, cum lachrymis aiebat: Credo domine,

mine, adiuua incredulitatem meam.

Recte implorauerat dei misericordiam, qui nulla poterat merita allegare, sed fide uacillat, ideo eum corrigit Christus, dicens: Noli dubitare, quid possim ego: nam si tu potes confidere, nihil est quod non impetret firma fiducia. Ad hanc uocē ilico pater concepta certiore spe, & clamore & lachrymis testificans uehemens animi desyderium, ait: Confido domine, & si quid deest meę fiducię tu succurre imbecillitati meę. Sic nostra quoq; fides infirma est, nisi innixa ad iutorio dei: donum dei solius est, a quo & petendum feruentibus precibus. Incredulus non erat, sed imperfectionem suę fidei uocat incredulitatem, quam cum lachrymis petebat a Christo suppleri & perfici. Omnibus nobis est per necessaria talis precatio: nam si fides satis plena adesset, nihil posset nobis boni desyderari, quod non succurreret dicto citius.

Et cum uidisset Iesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute spiritus, ego tibi præcipio, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Et clamans & multum discerpens eum, exiit ab eo, & factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent: Quia mortuus est, Iesus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit.

Concurrente ad spectaculum undiq; turba, quam & Christus uolebat esse testem miraculi, uocem illam deprompsit omnipotentem, qua cum uult mortuos etiam in uitam reuocat. Interminatus est enim impuro spiritui, ni protinus exiret, dicens: Surde & mute spiritus, ego tibi impero, ut ex eas ab homine, & ne posthac ingrediaris in illum. Indignatur spiritui Iesus, ut hominis misereatur, nobis exemplum præfigens, quid agendum sit in sanandis peccatoribus. Sic insectanda sunt uitia, ut hominis salutem amare uidearis. Ut autem intelligas inanem esse hominis operam, ni Christus tacite uocem suam addat, discipuli iusserant exire spiritum, sed frustra, quoniam aberat Iesus. Abest autem, quoties friget ac uacillat fides, per quam uult impetrare nos omnia. Protinus autem ad imperiosam uocē domini exiit spiritus, sed ut intelligeres eum inuitum demigrare, uociferans multumq; diuexās miserum: iacebat enim iam mortuo similis. Vides imaginē poenitentis, & a magnis asuetisq; uitijs resipiscētis. Iam odium peccati liberauit a peccato: sed proximus est resipiscentię, qui & turpitudinem suam agnoscit, et dei iustitię cogitat. Sed tamen feliciter mortuus iacet, qui peccato mortuus est: superest enim, ut incipiat uiuere iustitię. Et hoc beneficium addit benignissimus Iesus, sine qua nulla salus est. Arripit manum cepto surgit ualidus & alacer beneficio Christi. Qui frustra liberatus erat a demonio per patris fidem, nisi ad pie uiuendum Iesus nouam addidisset gratiam. Iam audit surdus, qui prius habebat aures terrenis cupiditatibus obturatas aduersus sermonem Euangelicum. Iam quietus est & tranquillus, qui prius habebat impediram carnis affectibus, iam quietus est & tranquillus, qui prius nunc libidinis, nunc ambitionis, nunc irę, nunc inuidię, nunc auaritię percussus cęstro, uelut impuri uiolentiq; demonis impulsu ferebatur. Hęc omnia tacenti spectabant apostoli, non audentes interpellare dominum.

Et cum introisset in domū, discipuli eius secreto interrogabāt eum: Quare nos non potuimus eicere eum? Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & ieiunio.

Tacebant & scribæ, uidelicet ipsa re docti, sanationem hominis non fuisse retardatam ob nomen Iesu parum efficax, sed ob imbecillitatem credulitatis & fiduciæ. Nam quod iuueni factum iuxta corpus, hoc in pharisæis agebatur iuxta spiritum: ideo non sanabantur, quia non credebant sermone per quem sanum poterant sanari. Cæterum cum Iesus introisset in domum, discipuli semotis arbitrīs interrogabant eum, quid fuerit in causa, cur ipsi nō potuerint hunc dæmonē eijcere, quum antea multos eiecissent in nomine Iesu: Ceperat enim animos illorum sollicitudo quædam humana, ne quid imprudētes offenderent dominum, & uirtutem ædendi miracula semel ab ipso traditam perdidissent. Iesus autem qui non solet eripere quod semel dedit, sed augere, non uult tamen sua munera secure & oscitanter haberi. Iamq̄ in patre sanati, satis indicarat filii dei imbecillitatem obstitisse, quo minus exiret dæmonium, quæ nondum tanta erat in apostolis quantam oportebat esse. Respondit esse peculiare quoddam dæmonum genus, quod expelli nequeat, nisi adhibita precatione & ieiunio. Sunt enim hæc duæ machinæ, quæ plurimum ualēt aduersus impios dæmones. Etenim precatione renouatur & excitatur fidei uigor, quemadmodum accidit patri, qui dixerat: Domine succurre incredulitati meæ. Ieiunio, quod omnium carnalium uoluptatum abstinentiam complectitur, domatur carnis rebellio. Denique Iesus autem cum tribus discipulis redibat ab recenti precatione. Cæteri discipuli cum multitudine conuersantes, nec precabantur nec ieiunabant, & ob id impares erant eijciendo dæmonio tam pertinaci tamq̄ familiari. Quomodo magis crescit in nobis fiducia nostri, hoc magis decrescit uirtus ædendi miracula: quo magis in nobis emortua fuerit potestas carnis, hoc magis roboratur spiritus cœlestis, per quem eijciuntur impuri spiritus. Itaq̄ frequenter roboratur spiritus Iesu Christi, Deniq̄ iam illos in illam horam præparat, quia iubetur uigilare & orare, ne incidant in tentationem. Sed quia dormitabant à cœna, uicit carnis infirmitas.

Matth. 17. d
Luc. 9. 6

Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam, nec uolebat quoniam quam scire. Docebat autem discipulos suos, & dicebat illis: Quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, & occidetur, et occisus tertia die resurget. At illi ignorabant uerbum, & timebant eum interrogare.

Peractis ita his rebus, Iesus unâ cū discipulis suis cœpit proficisci in Iudæam præterita Galilæa, idq̄ ueluti fortuito itinere, non quod metueret mortē quam ardentissime sitiebat, sed ne uideretur ante tempus sacerdotum & pharisæorum animos ad homicidiū irritasse. Hanc formidinis speciem in se suscepit, ut à suis omnem eximeret formidinem, & ipse susceptæ naturæ imbecillitatem exprimeret. Inter eundem autem rursus inculcat discipulis suis, quod iam nō semel audierant. Dicebat enim: Omnino futurum est, quod toties dixi, Filius hominis tradetur in manus hominum, ut capiatur, ut condemnetur, ut illudatur, ut flagelletur, ut occidatur. Ad hæc quæ sine dubio instāt præparandus est animus. Non autem poterit esse præparatus, nisi liber ab omnibus humanis affectibus spiritus uigore confirmetur. Scio perturbat uos mortis mentio, sed oportet locuti esse animo. Non diu uos deferam; nam tertio statim die reuertiscam. Tunc autem torpor obsederat animos discipulorum, ut hunc sermonem tamen dilucidum

cidum nō intelligere, suspicantes aliquid ænigmatis subesse, quandoquidem meminerant sese dictis eiusmodi figuratis aliquoties fuisse falsos, ueluti cum iuberentur cauere à fermento pharisæorum. Necdum animo concipere poterāt mysterium crucis, neq; coniectare quorsum attineret occidi, si mox esset reuiscurus, quum qui reuiscere potest ubi uelit, idem possit si uelit non mori. Proinde quanquam hoc sermone uehementer offenderentur, tamen non audebāt interrogare Iesum, exemplo Petri deterriti, cui parum feliciter successerat hac de re dominum interpellasse. Audierat enim, Vade post me satana. Adhuc sapiebant ea quæ sunt hominum; nam dei consiliū erat, ut agni immaculati uisima deus humano generi reconciliaretur, condonatis per filium & fidem peccatis omnibus.

Et uenerunt Capharnaum. Qui cum domi esset, interrogabate eos, *Math. 18. 4*
 Quid in uia tractabatis? At illi tacebāt: siquidem in uia inter se disputa- *Luce 9. f*
 uerant quis eorum maior esset.

Discipuli regnum quoddam mundanum somniabant. Itaq; inter uiam orta est inter ipsos disputatio, quis esset primas habiturus in regno dei, quod mox sperabant appariturum. Viderant paulò ante tres discipulos prælatos cæteris in consensu montis, & in sanatione filiæ archisynagogi: uiderant Petrū prælatum in responsione de clauibus & regno dei, & tamen erant illo natu maiores, quidam etiam sanguinis propinquitate dominum contingentes. Quum autem uentum esset Capernaum, dominus priuatim interrogat illos, quid esset illud de quo clanculū inter sese disputassent in itinere. At illis pudore obticescētibus, quum facile suspicarentur fore, ut hunc ambitionis affectum improbareret dominus omnis modestiæ doctor.

Et residens uocauit duodecim, & ait illis: Si quis uult primus esse, *F*
 erit omnium nouissimus, & omnium minister. Et accipiens puerum, *F*
 statuit eum in medio eorum: quem cum complexus esset, ait illis: Quis *F*
 quis unum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: *F*
 & quicumq; me susceperit, non me suscipit, sed eum qui me misit.

Iesus quo penitus hunc affectum longe pestilentissimū ex animis omnium discipulorum & totiū ecclesiæ ministrorum reuelleret, consedit ueluti rem se-
 riam in regno cælorum uolet esse primus, is erit omnium postremus ac minist-
 ter omnium; tantū abest, ut ex regnis huius mundi æstimari oporteat regnum
 cælorum. Mox quo magis infingeret hanc doctrinam animis discipulorum, uoc-
 cat ad se puerum pusillum, & hunc statuit in medio discipulorum. Eum ubi es-
 set complexus, significans quàm auersaretur superbos & ambitiones, quamq;
 diligere humiles spiritu & modestos, Videtis, inquit, hunc paruulum? Quid
 abiectius aut humiliter iuxta mundum? At qui tales sunt animi modestia, sim-
 plicitate, innocentia, qualis hic est ætate, hi sunt apud me maximi pretij. Nam
 æquum est mihi charissimos esse, qui mei simillimi sunt. Non æstimatur hic di-
 gnitas ex opibus, censu, potentia, fastu, uel uolentia. Nam qui tales sunt, ut sunt
 reges in primatibus suis sese uel honorari credunt uel lædi: ita ego in regno E-
 uangelico in huiusmodi paruulis quos ob innocentiam simplicitatemq; ac mo-
 destiam contemnit mundus, me uel honorari credo uel contumelia affici. Si
 quid nouistis me submissius, illū pro summate ducite in regno cælorū. Quod
 H

si neminem inuenietis, me primatē habete: & ut quisq; proxime accesserit contemptu rerum earum quas in principum aulis affectant magnates, ita summitatem eius iudicate. Quisquis igitur unum ex huiusmodi puellis receperit in meo nomine, me recipit. In his enim recipi gaudeo, quos ut mei similes amo. Porro qui me receperit, qui sum omnium infimus iuxta mundum, non me recipit, sed eum qui me misit. Vt enim magister honoratur aut læditur in discipulis, ita pater honoratur aut læditur in filiis. Atq; hoc sermone dominus non ademit authoritatem his qui præsunt gregi dominico, uerbo, exemplo, sollicitudine & cura paterna & sancta, sed omnem detrahit ambitionem et contentionem de primatu & dignitatibus, quæ Christi solius sunt. Neq; enim humilitas huius generis paruulorum æstimatur corporis modo uel robore, sed animi modestia, quæ sibi nihil altum in hoc mundo uindicat, nec usquam suis sicut uiribus, sed simplici fiducia pendet ex me. Ex huius sermonis occasione suboritur est alter scrupulus discipulis, quem Ioannes ita proponit.

2. COR. 12. 4

Respondit illi Ioannes, dicens: Magister, uidimus quendam in nomine tuo eijcientē dæmonia qui non sequitur nos, & prohibuimus eum. Iesus autem ait: Nolite prohibere eū: nemo est enim qui facit uirtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me: qui enim non est aduersum uos, pro uobis est.

Magister, ait Ioannes, cum misisses nos ad prædicandum regnum dei, uidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia, qui tamen nō erat de numero duodecim, nec de numero septuaginta, quos postea designatos emisisti, nec omnino de numero discipulorum qui sequuntur nos. Hunc igitur uelut alienum à tuo consortio prohibuimus, recte ne an secus incerti. Iesus autem respondit: Istiusmodi nolite prohibere, qui quocumq; modo conducunt Euangelio propagando. Non enim oportet esse fastidiosos in recipiendis his qui studium Euangelicam qualicumq; studio promouere. Non est spectandum an sequeatur nos, sed an prædicet nomen nostrum. Quod si inuocato meo nomine eijcit dæmonia, non facile potest de me male loqui. Quod si faciat, res ipsa redarguet eum: dicetur enim illi: Qua fronte obtretras nomini, quod in aduersis miraculis expertus es potens & efficax? Nolite facile suspicari eum malo animo uobis facit. Noua res per omnem occasionem est promouenda, quam syncretis animis uestra nihil refert, modo quocumq; pacto prosit negotio quod agitis. Nec enim solum hi mercedem ob Euangelij negotium prouectum ferent, qui in nomine meo dæmonia eiecerint, uerumetiam qui pro suis facultatibus uel munusculum aliquod momentum attulerint.

Math. 10. d

Quisquis enim potum dederit uobis calicem aquæ frigidæ in nomine meo quia Christi estis: amen dico uobis non perdet mercedē suam.

Quisquis uobis uel aquæ frigidæ potū dederit in nomine meo, hoc est quia mei estis discipuli, meumq; agitis negotium pro certo habete, non est caritatis mercede sua. Quod si quis obstiterit his per quos Euangelicum negotium promouetur, promouetur autem non per istos quos mundus pro magnis diuitiis sed per pusillos, simplices, & humiles: sed si cuius ex pusillis his, qui fiduciam suam in me collocant offendiculo fuerit, adeo non effugiet supplicium, ut leuiter puniendus esset, si saxo molari collo ipsius alligato conijceretur in mare. Et

Et quisquis scandalizauerit unum ex his pusillis credentibus in me, *Matth. 18. 6*
 bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo eius, & in ma- *Lucæ 17. 2*
 re mitteretur.

Principes huius mundi pœnis atrocibus afficiunt per quos impediuntur
 quæ præfectis suis mandarunt, suffigunt in crucem nonnunquam, & in qua-
 tuor dissecant partes, aut è saxo præcipitant, aut alligatos saxo ne possint emer-
 gere in mare demergunt. Ad eod nolunt offendî magnates suos, quibus utuntur
 ministris ad suam tyrannidem, hoc est ad opprimendum populum. At mul-
 to grauius deus punit eos, qui paruulis suis, per quos cœlestis regni negoti-
 ad seruandos omnes homines tractari uoluit, obstiterint, quo minus exequan-
 tur regis sui mandata. Nam quamuis hæc uidebuntur ad tempus id facere im-
 pune, tamen gehennæ supplicium non effugiēt. Nullum autem mortis genus
 huius mundi tyranni potuerūt excogitare, quod cum illo supplicio possit con-
 ferri, quo corpus simul cum anima perenni cruciatu morientur, nec mori lice-
 bit. Proinde ne uos cogitetis de uindicta, peragite negotium uestrum, deus sur-
 met pœnas de his qui uobis obstiterint.

Et si scandalizauerit te manus tua, abscinde illam: bonum est tibi de G
 bilem introire in uitam, quam duas manus habentem ire in gehennam
 in ignem inextinguibilem, ubi uermis eorum non moritur, et ignis non
 extinguitur. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum: bonum est tibi
 claudum introire in uitam æternam, quam duos pedes habentem mit- *Isaie 66. 2*
 ti in gehennam ignis inextinguibilis, ubi uermis eorum non moritur, &
 & ignis non extinguitur. Quod si oculus tuus scandalizat te, eijce eum:
 bonum est tibi lulum introire in regnum dei, quam duos oculos ha-
 bentem mitti in gehennam ignis, ubi uermis eorum non moritur, &
 ignis non extinguitur.

Quod si offendiculum nascatur, non à persecutore sed ab his qui uidentur
 esse amici, nihil tam charum oportet habere ut huius gratia deseratur Euange-
 lica functio. Finge manum esse dextram, hoc est finge patrem aut amicum ue-
 hementer necessarium: finge oculum esse dextrum, hoc est uxorem adamatam
 aut dulces liberos: finge pedem esse, hoc est famulum aut procuratorem, cuius
 opera carere non possis in huius uitæ negotijs, amputa manum, erue oculum,
 abscinde pedem ab Euangelico negotio remorantem. Si potes patrem aut ma-
 trem, fratres aut sorores tecum adducere ad salutem Euangelicam, facito. Sin-
 horum charitas te reuocat ab Euangelio, futurumq; est ut dum illi per te serua-
 ri nolunt, tu simul cum illis pereas: exue naturæ affectum, & humanam pieta-
 tem uincat Euangelica pietas, & hoc fac in animæ periculo, quod faceres in pe-
 riculo corporis. Si res urgeret, ut aut occidendus esses, aut manus iactura ser-
 uanda uita, non dubitares amputare manum, & unius membri quamuis ne-
 cessarij dispendio uitam redimere. Optabilius erat simul cum parentibus & a-
 micis seruari per Euangelium, uerum id si non licet, præstat te desertis parenti-
 bus, qui non solum seruari nolunt, uerum te conantur in exitium pertrahere,
 ueluti mutilum ingredi ad uitam, quam unâ cum parentibus & amicis conijci
 in gehennam, hoc est in ignem inextinguibilem: ibi uermis arrodens pœniten-
 tia miserorum conscientiam nō moritur: uiuunt enim tantum in pœnam: ibi
 ignis quo cruciantur nunquam extinguitur. Vtrosq; pœnitebit, sed sero & fru-

stra, & te male obsequutum parentum affectibus ad perniciem, & illos non obtemperasse ad salutem inuitanti, Nec illorum calamitas te subleuabit, nec tuus cruciatus illorum pœnam imminuet. Porro ad Euangelij negotium properanti non imputabitur parentis exitium, qui seruari noluerit. Sic & pedem amputa, cogitans esse satius ut claudus ac mutilus peruenias ad uitam æternã, quam ut pedibus integris conijciaris in gehennam, ubi nec incendium extingui potest, nec uermis moritur. Nihil est homini charius oculo, nihil est uxorẽ dulcius, & liberis suauius. Verum si res urgeat, ut aut horum gratia deferendum sit Euangelium, & unã cum illis pereundũ, aut illos quibus nihil habes iuxta affectum humanum charius deferendi, non conteris eruerẽ oculum & abijcere, reputans multo satius esse, luscum ingredi regnum cœlorum, ubi perpetua uita est, quã utroq; oculo incolumi conijci in gehennam. Ne quid hic te moueant uxoris lachrymã, aut liberorum blanditiã. Stulte plorã se deferi, qui sequi poterant si uellent. Omnes affectus humani posthabendi sunt, quoties urget præceptum dei. Omnia dispēdia rerum corporalium pro lucro ducenda sunt, quocirca paranda est uita æterna.

Matth. 5. 6
Luce 24. 8

Omnis enim igne salietur, & omnis uictima sale salietur. Bonum est sal, quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis: Habete in uobis sal, & pacem habete in uos.

Non est delicata professio mei nominis, coorientur undiq; que uos ab infilituto retrahãt, persecutio, affectus humani. Verũ his omnibus oportet esse superiores qui suscipiunt negotium Euangelicum. Totum se diuinã uoluntati dedat & consecret oportet, qui uelit esse idoneus administrator Euangelicæ doctrinæ, ut nec ullis persecutionum terroribus, nec ullis carnalium affectuum illecebris corruptus deflectat à sinceritate ueritatis. Quæ admodum enim nulla uictima iuxta Mosis præscriptum, legitima est, nisi que uel igne salitur uel sale uel utroq; ita quisquis Euangelicam philosophiam uolet profiteri, necesse est ut igni purgetur ab omnibus humanis affectibus, & sale condiam sapientia, nec seruat hominem ab huius mundi corruptione, nec alicui seruari potest. Atqui utrunq; præstare oportet doctorem Euangelicum, ut & ipse sit incorruptus, & ab alijs eximat corruptelam. Non præstat hoc philosophorum ritatis acrimonia emordet & consumit quicquid in homine est obnoxium corruptioni. Idem efficit ignis ille diuini spiritus, consumens & repurgans ex animis omnes carnales affectus, & quodammodo transformans in deum, quicquid corripuit, ut qui prius affixi fuerant curis rerum terrenarum, nũc his contentis rapiantur ad cœlestia. Hoc sale quisquis conditus est, non poterit ullis illecebris corrupti à sinceritate spiritus Euangelici. Hoc igni qui purgatus est, contemnet quicquid intentare potest persecutor. Nihil melius igni, si quis recte utatur, nihil utilius sale. Cæterum si ignis refrixerit, si sal fiat insulsum & euavidus, quid reliquum est quo condiamur insulsi? Si qui profitetur spiritum Euangelicum, territi minis hominum deserant institutum, ac metu blandiantur saltem Euangelicum profiterentur, non solum acrimonia ueritatis non sanantiorum corruptos affectus, sed ipsi in gratiam parentum aut amicorum ebrietas terrenas excidunt à spe regni cœlestis, ac lucrifaciunt gehennam, & quod est omnium sceleratissimum, ipsam Euangelicam doctrinam interpretantur ac de

torquent ad affectus & cupiditates humanas: quid superest per quod humana stultitia conditur, simul & corruptis his per quos id fieri conueniebat, & uitia eo quod unum relictum est mundo, ut aliquando resipiscat: Proinde ut possitis & persecutionum sauitiam uincere, & omnes affectus humanos Euangelij gratia contemnere, ut possitis & uestrae saluti consulere, & quam plurimos ad salutem adducere, habeat in se quisque uestrum salem Euangelicum, & habete pacem & amicitiam inter uos mutuam. Sal faciet incorruptos, concordia faciet robustos ac potentes: ubi dissidia sunt, ibi non est sal Euangelicus: ubi ambitionis morbus est, ibi nec pax est nec sal. Ideo philosophi inter se pugnant, quia non habent hunc salem. Ideo Phariseis male conuenit cum Sadduceis & Herodianis, quia corrupti prauis affectibus carent Euangelico sale. Vestra doctrina condiet stultitiam mundi, si senserint homines in uestris affectibus nihil esse corruptum, aut putre, uel studio gloriae, uel amore pecuniae, uel cupiditate uindictae, uel metu mortis, uel desyderio uitae, uel ullo denique humano affectu, & si quemadmodum uestra uita respodet doctrinae, ita inter uos consentietis, Consentietis autem, si procul abiecto omni ambitionis uitio, quo laborant qui regnum affectant huius mundi, caelestem doctrinam quam a me accepistis synceriter alijs impartiat, ut fideles ministri ueritatis & gloriae dei praecones, non ambiendo quamcumque gloriam inter homines, & cupiditatem fame uel honoris, sed uno domino deo uestro totum operis uestri fructum deducantes, semper humiliter agnoscentes infirmiora esse omnia uestra studia quam sit, & ad dei gloriam propagandam remissiora.

CAPVT X.

T inde exurgens, uenit in fines Iudaeae ultra Iordanem, & conueniunt iterum turbae ad eum: & sicut consueuerat, iterum docebat illos. Matthaei 19. 4

Postquam huiusmodi monitis dominus Iesus satis instruxisset animos discipulorum aduersus tempestatem imminentem, relicta Galilaea profectus est in eam Iudaeae, hoc est Israeliticae terrae partem, quae est ultra Iordanem, in qua prius docuit Ioannes. Iam sic undique inclaruerat fama Iesu, ut nusquam posset latere. Mox igitur & huc confluunt turbae, quemadmodum alijs in locis consueuerant, nec unquam ille fatigabatur benefaciendo omnibus, sanandis corporibus, docendis animis. Nec hic tamen desunt pharisei, nusquam non sunt similes.

Et accedentes pharisei, interrogabant eum, Si licet uiro uxorem dimittere: tentantes eum.

Multitudo & turba fidelis quaerit sanitatem, quaerit doctrinam. Pharisei male praetextant quam sanari, tentare quam discere. Atque interim religionis specie docilem suae malitiae, & discendi studium obtendunt suae fraudulentiae. Obijciunt captiosum problema, dicentes: Quid tu sentis magister noster? Num fas est uiro repudiare uxorem? Hanc cornutam quaestionem inter se commentati fuerant, sperantes fore, ut uel in hoc uel in illud cornu respondens incurreret. Pronunciarat beatos qui se castrarent propter regnum dei. Itaque si fauens castitatis pronunciaffet licere dimittere uxorem alterius ducendae gratia, quemadmodum passim faciebant Iudei, uideretur docere pugnantia. Si respondisset non

licere, obieciſſent uiolatam legis authoritatem, quæ permittit marito ius repudiandi ingratam.

Deut. 24. 4

At ille respondens, dixit eis: Quid uobis præcepit Moyses? Quibus responderunt: Moyses permisit libellum repudiij scribere, & dimittere. Quibus respondens Iesus, ait: Ad duritiã cordis ueſtri scripsit uobis præceptum istud: ab initio autem creaturæ masculinum & fœminam fecit eos deus.

Gene. 1. d

Dominus Iesus ut prudentes caperet sua ipsorum uersutia: nam ex lege patrauerant laqueum, rogauit eos: Quid opus est me percontari, quum legis peritiã profiteamini? Quid Moyses his de rebus præcepit uobis? Illi responderunt: Moyses si quid maritum offenderet in uxore, permisit ut dato libello repudiij, dimitteret eam, & aliam, si uideretur, duceret. Hanc legis permissionem sic interpretabantur pharisæi, quasi recte facerent qui ob quamlibet leues causas repudiarent uxores suas, & alias ducerent domum, non intelligentes mentem legislatoris, quam ex Genesis exordio poterant deprehendere. Ait itaque: Quod Moyses uobis permisit ius repudiandi, nequaquam fauit diuortio, sed indulget maritorum libidini. Maluitque concedere leuius malum, quam aperire fenestram atrocioribus. Maluit iniquum diuortium, quam homicidium, ueneficium, aut etiam parricidium. Nouit enim duritiã cordis ueſtri, cui remedium hoc datum est, ne ueniretur ad sceleratiora. Cæterum in paradiso prius quam ad hanc malitiã prolapsa esset humana natura, non sic est institutum matrimonium, ut ex libidine mariti fieret diuortium, sed ut perpetuũ & indiuulsum inter maritum & uxorem esset coniugium.

Gene. 2. d

2. Cor. 6. d

Eph. 5. g

Propter hoc, relinquet homo patrem suum & matrem, & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo deus coniunxit, homo non separet.

Primo quidem deus unum uni coniunxit, marem fœminæ: inter quos tam uoluit esse charitatẽ, ut nulla posset incidere diuulſio. Propter hoc, inquit, duo redigentur in carnem unam, ita ut iam corpore simul, & animo conglutiati non sint duo homines, sed unus homo, ut tristium ac lætorum omnium sit inter eos communio. Hæc uerba palam declarant, deo non placuisse diuortium, alioqui rescinderet quod primum instituerat. Sed Moyses propter uoluntatem dei permissio repudio consuluit ad tempus ueſtræ duritiæ, leuius ducens adulterium quam parricidium. Si placet indulgẽtia Moſi, agnoscite & causam, qua coactus indulſit. Proinde quod ipse deus initio sic coniunxit ut esset indiuulsum, ne distrahat homo. Deponite cordis duritiã, & non erit nec opus nec locus diuortio. Huiusmodi temperatura respõsionis Iesus asseruit præceptũ dei, nec Moſen tamen damnauit, nec castitatis laudem imminuit, nec se pharisæorum captioni præbuit, quin potius eos cepit qui captatum uenerant.

Et in domo iterum discipuli eius de eodem interrogauerunt eum. Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit uirum suum, & alij nupsierit, moechatur.

Vbi uentum est ad ædes priuatim, hac ipsa de re percunctantur dominum discipuli. Vbi Iesus apertius damnauit repudium. Quicumque, inquit, &c. Non enim conuenit Euangelij professores habere cordis duritiã, ut uxoris mores nec ferre possint, nec uelint ciuilitate corrigere, sed cõcepto quibuslibet ex carnis odio

is odio machinētur homicidium, nisi se subducat uxor. Hic animus est Iudaeus, à quo oportet abesse meos discipulos. Iudaeus ob oris halitum grauiorem, ob oculi similitudinem, aut aliud simile uitium repudiat uxorem, quum inter Evangelicos una dumtaxat causa dirimat coniugium, & hæc pro sua magnitudine estimanda, ut grauiores quoque & importabiliores includat, hoc est uiolata coniugij fides. Vxor enim quæ sui corporis copiam fecit alteri, uel conspirauit in mortem mariti, et fatali odio ac indefesso iugiter infestat, quod grauius mul-tis haberi possit quam adulterium, iam talis etiamsi non repudietur, certum est tamen quod desijt esse & uxor & fidelis. Quemadmodum ignis, non est ignis nisi caleat: ita coniugium non est coniugium, nisi ex duobus fiat unus, fide, charitate & concordia.

Et offerebant illi paruulos, ut tangeret illos. Discipuli autem com-
 illis: Sinite paruulos uenire ad me, & ne prohibueritis eos: talium est e-
 nim regnum dei.

Aderant quidam adducentes infantulos, ut Iesus imposita manu benedice-
 ret illis. Viderant illius contactu pelli morbos, confidebant & infantulis profu-
 rum aduersus incommoda, quibus multis ætas imbecillis esse solet obnoxia.
 Discipuli uero suspicantes dominum maioribus intentum non esse fatigandum
 huiusmodi leuioribus negotijs, arcebant pueros ne uenirent ad Iesum, et incre-
 pant eos qui adducebant, quasi importunitate sua domino facefferent nego-
 tium. Atqui paulo ante dominus commendauerat eis paruulos, itaque cum uide-
 ret illos oblitos quæ dixerat, obstare quo minus infantes peruērent ad ipsum,
 coercuit discipulos suos, dicens: Sinite pueros uenire ad me, nec arcete illos à
 contactu meo: talium est enim regnum cœlorum. In his est exemplum innocentiae
 ac simplicitatis, ad quam oportet refingi superbam malitiam hominum, si ue-
 lint admitti in regnum cœlorum. Puer enim neque inuidet, neque uindictam me-
 ditatur, neque si flagelletur à matre recedit, sed nihilominus diligit & conciliatur
 leuib; sed & uestem suam nouam regiae purpurae praefert. Sic & qui uirtuti-
 bus uacat honestati & innocentiae nihil praefert. Tales Christus in ulnas susci-
 pit, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Eosque benedicit,
 dicens: Venite benedicti patris mei &c. Regnum autem dei praedicationem et
 promissionem praesentium quoque donorum dicit & futurorum.
 Amen dico uobis, quisquis non receperit regnum dei uelut paru-
 lus, non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens manus su-
 per illos, benedicebat eos.

Ne quis putet hos esse contemnendos ob imbecillitatem uirium aut simpli-
 citatem, illud pro certo confirmo uobis, Nisi quis renascatur, ac deposita omni
 uerfuta, auaritia, & ambitione, odio, ira, uindicta, liuore, talis reddatur animo
 quales hi sunt ætate, non recipietur in regnum cœlorum. Quoque magis com-
 mendaret omnibus simplicem innocentiam, complexus est singulos, & impo-
 sitis uniuersis manibus suis, bene precatus est illis, docens idiotas & imperitos
 aut quamlibet humiles & abiectos iuxta mundum non esse fastidiendos episco-
 pis, sed omnibus modis fouendos, donec proficiant ad meliora. Rogandus au-
 tem in primis dominus Iesus, ut dignetur illis manus suas imponere, beneque o-
 minari. Dabit ille paruulis iustitiam, qua uident diaboli laqueos: dabit infantibus
 linguam, ut ex ore infantium & lactentium perficiatur laus dei.

Matth. 19. b

Lucæ 18. d

Et cum egressus esset in uiam procurrrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum dicens: Magister bone, quid faciam ut uitã æternam percipiam? Iesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus, deus.

His domi gestis quum dominus prodisset in uiam, accessit adolescens quidam, ut post commendatam pueritiã hæc etiã ætas à bene coeptis ad perfectiora uocaretur. Is accedit ad pedes Iesu, dicens: Magister bone, quid faciam ut uitã assequar æternam? Hæc percontatio non omnino uocabatur aliquo uitio sibi placentis. Sed hoc uitij si mediocre sit, solet doctorum lenitas spe profectus in illa ætate dissimulare. Nec enim tam doceri cupit à domino quid facere debeat, quã ob ea quæ fecerat à tanto magistro laudari. Et bonum appellat quem nihil aliud credebat esse quã hominem, quasi quicquam esset homini boni ex seipso. Iesus autem uelut offensus arroganti cognomine: Quid, inquit, me uocas bonum? Hoc cognomen homine maius est; nemo enim uere bonus, nisi solus deus. Vt igitur arrogans est homo, qui hoc cognominis sibi uindicta, ita qui tribuit homini, plus tribuit quã decet. Hoc proœmio Christus reuocat adolescentis spiritum, qui uidebatur ab huius cognominis elogio non multum abesse. Mox autem adiecit Iesus de mandatorum obseruãtia, quæ bonum non faciunt, sed ostendunt.

Exodi 20. c

Præcepta nosti, Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum & matrem. At ille respondens, ait illi: Magister, omnia hæc obseruauit à iuente me.

Ex his domini uerbis discamus quotquot scripturas sacras legimus modestam sensus & nulla curiositatis ratione niti in sacris tractandis, ut magis quid à domino nobis dicatur, quã quo ordine uerborum, & exacta nimis diligentia non utamur. In enumeratione præceptorum non utitur ordine Christi, sed inuertit & confundere uidetur, quemadmodum & Moses ipse in enumeratione decalogi, non omnino eisdem utitur uerbis in Exodo & Deuteronomio. Adulterij prohibitionem præmittit, de quo iam ante dixerat proximo, Non occidendum quempiã aliter quã ut dicat lex dei. Non quoque furandum, ut inuito proximo rem auferas clam uel uiolenter ac palã, quod tibi fieri non ferres. Nullam in uerbo falsitatem committere, quod est falsum ferre testimonium & mentiri, omnium autem minime in iudicio requisitus, & in damnamento cuiuscunq; quod tibi fieri non uelles. Fraudem facere addit, quod est insynce re & contra charitatem dolo malo & cum dispendio proximi facto, mentiri ac decipere, quod æque sibi nemo uult fieri. Tandem & parentum honorem addidit, cum fuerat in legibus quoad secundam tabulam primum; de quibus omnia diligenter populo proponendis, uide in loco proprio. Huiusmodi autem uulgaria mandata uulgari modo proponit Christus, in quibus & Iudæi sibi uindictam bonitatis & iustitiæ laudem, non tam curantes ex qua fide uel deuotione hæc seruent, quantum ut his forensi studio impletis, in facto, fide, & deuotione ferrentur in deum, sed ut iusti haberentur & digni uita æterna, qui adolescens concepta spe magæ laudis, iam lætus & alacer respondit Iesu: Magister, hæc omnia seruauit à puero. Non putandus est uoto tentantis dominum ueritate rogasse, & de sua uita fuisse mentitum, sed simpliciter uulgari modo se hæc omnia

nia obseruasse, ut parentes amarit, adulterium nō commiserit, neminem unq̄ occiderit, furtum nullum commiserit, falsus testis scienter non fuerit, uoluntarie neminem fraudarit, & similia quæ de se homines fateri possint. Quamlibet etiam hæc omnia longe imperfectius seruarint quàm se debere sciant, sperant tamen & non dubitant domini bonitatem boni consulere fragilitates humanas, ut iudicandi sint per dei clementiam, & non damnandi.

Iesus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei: Vnum tibi deest, uade, quæcunq̄ habes, uende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & ueni sequere me.

Intuitus adolescentem probæ indolis & lætæ spei, qui non ista fingeret, nec sibi malitiose placeret quemadmodum pharisæi, significabat sese etiam huius ætatis studio delectari. Itaq̄ præ se tulit quod eius affectu pio, licet imperfecto, delectaretur, uelut exosculans spem indolis Euangelicæ (quemadmodū enim in ea ætate rarum est, ita plausibile est studium pietatis) nos interim admonens, ut ubicunq̄ uiderimus aliquam indolem ac spem Euangelicæ pietatis, ne sæuis oburgationibus obruamus, & alienemus teneros animos, quæadmodum quidam nimium morosi literatores, qui bene nata ingenia sua austeritate docent odisse literas, sed comitate prouehamus ad meliora, probantes studium, sed ostendentes interim quo sit proficiendum. Ita Iesus gestientem ante tempus non in istis, ut tu putas, collocata est perfecta iustitia, sed unum adhuc deest tibi. Miranti & roganti quidnam id esset respondit dominus, Redi domum, ac diuenditis possessionibus omnibus, pecuniam collectam eroga in pauperes. Non perdes quod ita dissiparis, sed pro terrenis possessionibus recondes thesaurum in cælis. Deinde liber & expeditus ueni & sequere me: tum enim agnoscam discipulum Euangelicum. Multa deerant adolescenti, sed hoc ulcere contacto Iesus uoluit ostendere quantum adhuc ab Euangelica perfectione abesset, quia non tantū fide pollebat & charitate in Christum & Euangelicæ ueritatis propagationem, ut pro eis temporalia sua bona obmittere posset, & illis resignare quas nimium diligebat.

Qui contristatus in uerbo, abiit mœrens: erat enim habens multas possessiones.

Iuuenis hoc audito mœrens discessit, nimirum frustratus sperata laude iustitiæ. Habebat enim possessiones multas, quas subito relinquere uidebatur admodum esse durum. Porro discessit nō omnino desperabundus. Nec enim indignatus, nec obmurmurauit, sed abiit tacitus & mœrens. Laudatus est de studio pietatis: quod mœret infirmitatis est humane. Non intelligebat autē sermonem domini Iesu. Nec enim sentiebat de possessionibus abiiciendis, sed de affectibus. Quisquis paratus est omnia relinquere, si res postulet is relinquet omnia. Hoc exemplo Iesus deterruit suos à cupiditate diuitiarum. Itaq̄ iuuenem disgresso à Christo & mœsto, ac præter spem audita sententia,

Et circumspiciens Iesus, ait discipulis suis: Quàm difficile qui pecunias habent, in regnum dei introibunt.

Iesus circumtulit oculos suos in discipulos: ad hos enim pertinebat hæc scæna, dixitq̄: Abijt ille, Quàm difficile, qui sic habent pecunias ut nimium diligant, ut amittere pro ueritate & iustitia nolint, ut adhæreant tenatius, ut illis fiant, ut affectu illarum teneantur, ut habeantur æque à pecunia ut illas habent,

intrabunt regnum dei, Christum sequentur, Euangelium propagabunt, aeterna gaudia possidebunt. Alioqui stultum est hunc locum intelligere de habentibus pecunias non saluando, nisi cum difficultate. Certe magnorum periculorum causa & occasiones sunt pecuniae: ueruntamen, ut nunc habet mundus, uita commoda transigi non potest sine pecunia danda & accipienda. Hic sibi Minoritas ni placere potuissent, qui sese pecunias habere negabant, cum per interpositas personas illas & erogari iuberent & accipi, nisi Bedae sententia hic succurrisset, quae sic habet: Qui multiplicandis diuitijs incumbunt, patet quod uitae alterius gaudia quaerere contemnunt. Sed aliud est pecuniam habere, aliud amare. Multi habent & non amant, et multi non habent & amant: item alij & habent & amant, alij uero non habere nec amare se gaudent, qui tutiores sunt, & quidem cum apostolo dicere possunt: Mihi mundus crucifixus est et ego mundo. Vnde & Salomon non dicit, Qui habet, sed qui amat diuitias, fructus non capiet in eis. Vfus itaque diuitiarum bonas uel malas facit.

Discipuli autem obstupebant in uerbis eius. At Iesus rursus respondens, ait illis: Filioli, quam difficile est confidentes in pecunijs, in regnum dei introire. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum dei.

Hic sermo de non habendis pecunijs uehementer obstupescit discipulos, existimantes uix quenquam posse inueniri, qui amplas possessiones subito profusus esset ob regnum dei, quanquam ipsi paucula quaedam reliquissent. Proinde Iesus inculcat quod dixerat, blandimento mitigans sermonis asperitatem, & interpretans non intellectam obscuritatem, Filioli, inquit, quam difficile est istos qui multas habent possessiones, & in his fiduciam suam collocant, uulgus mortalium facit, intrare regnum dei. Et ne uideatur hoc durius dictum, addam quod hoc quoque magis est durum, sed uerissimum, Facilius est camelum transire per foramen acus, quam diuitem intrare in regnum dei: hoc est, cupiditate carnis & amore sui, qui hominibus cunctis adheret, & necessario indiget per gratiam dei dirigi in usum diuitiarum, & de supernis iuari.

D Qui magis admirabantur, dicentes ad semetipsos: Et quis potest saluus fieri? Et intuens illos Iesus, ait: Apud homines impossibile est, sed non apud deum: omnia enim possibilis sunt apud deum.

His auditis discipuli magis etiam conturbati sunt animis, ita ratiocinantes inter sese: Si nullus potest esse saluus, nisi intret regnum dei, & si nullus potest intrare regnum dei, nisi abiectis diuitijs, quomodo uideamus omnes homines sic amare diuitias suas, ut non uideantur relicturi, quis diuitum poterit seruare? Haec discipulorum sollicitudo sapiebat pietatem domini: cupiebant enim quam plurimos intrare regnum dei, sed nondum intelligebant uigorem Euangelice professionis, qua iubemur & uxorem, & liberos, & parentes, & uitam denique contemnere, si res ita poscat. Leuissimum autem est negligere diuitias, si rem expendas: si uero uulgi mores, multo omnium grauissimum. Dominus igitur uidentibus suos discipulos sollicitos ac moestos ob hunc sermonem, & desperationi proximos, addidit illis animum, sed primum coniecit in illos oculos, quod facere solite est, quoties aliquod eximium esset dicturus: Quid desperatis, inquit, de salute diuitum? Ardua sunt quae requiro, sed magis ardua praestanda sunt. Nihil difficilius quam uitam negligere Euangelij gratia. Hic me ducem habebitis, si reperiuntur,

perientur, quibus Euangelium sit uita charius, desperatis futuros, quibus diuitiæ sint Euangelio uiliores: Hæc affectibus humanis uidentur impossibilia; sed hæc res agitur diuino præsidio, Deus exigit ardua & humanis maiora uiribus, sed idem addit opem, ut possis quod iuberis. Ita fit, ut quod homo non potest ex sese, id possit auxiliante deo, qui nihil non potest. Huic qui toto pectore fidit, per illum nihil non poterit. Itaque qui negligit possessiones ob regnum dei, non facit dispendium, sed lucrum. Vt autem hoc intelligat non est humane prudentiæ, sed fidei cœlitus infusæ. Quisquis enim credit toto pectore pro relictis possessionibus, quæ remorabantur à negotio salutis, & hic centuplum rependi, & in futuro sæculo uitam donari æternam, uolens ac lubens accipiet talem commutationem.

Et post hæc coepit ei Petrus dicere: Ecce nos dimisimus omnia et se- Matth. 19. d
 quitur te. Respondens Iesus, ait: Amen dico uobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Euangelium qui non accipiat centies tantum nunc, in tempore hoc, domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros cum persequutionibus, & in sæculo futuro uitam æternam.

Ex hoc sermone qui desperationem adimebat, accessit plus animi discipulis quam oportuit. Iam enim Petrus ex collatione iuuenis, qui mœrēs abierat, coepit sibi non nihil placere. Ecce, inquit, nos tua causa reliquimus omnia et seque sumus te. Præstitimus quod ab adolescente requirebas. Illi promittebas thesaurum in cœlis, nobis igitur quid sperandum est præmij: Si census apostolorum æstimes, non multum reliquerant præsertim Petrus, qui piscator fuerat, et quotidiana opera ægre uictum parabat: sed suum cuique maximum est, & plurimum reliquit, qui totum quod habet sic deserit, ut nec de fartiendo nec de autendo cogitet. Qui penitus exiit affectum opulentiae tantum reliquit nõ quantum erat in censu, sed quantum poterat optari. Ad hanc regulam dominus æstimans res ab apostolis derelictas, qui quod charius erat alacriter reliquerat, nimirum parentes, uxores, & cognatos, respondet hunc in modum: Illud pro certo dico uobis, Non uos solum non fraudabimini præmio uestro, sed nemo futurus est, qui si reliquerit Euangelij studio meaque causa domum, fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut liberos, aut agros, nõ pro singulis relictis centuplum sit recepturus in hac etiam uita, quantumuis sæuiant persequutionum procellæ. Siquidem longe plus accrescet ex charitate Euangelica, quam decessit ex immanitate persequutorum. Pro uno fratre aut sorore relicta iuxta carnem tot habiturus est fratres & sorores quot habebit professionis Euangelicæ sodales. Vehementiores autem atque etiam dulciores sunt affectus spiritus quæ una domo relicta nusquam non habebit domum, ubicunque uigebit Euangelica charitas, quæ communia facit omnia. Pro paucis agris relictis ueniet in confortium omnium agrorum, quos possidebunt germani Euangelij professores. Quæ si non contingerent, tamen corporalium rerum dispendium spiritualibus animi dotibus fartietur, ut centuplo malis accepta quam relicta. Nulla enim comparatio fluxarum rerum, & mox etiam si nullus eripiat periturarum, ad opes animi, quas nemo potest largiri nisi solus deus, nemo potest eripere nisi qui largitur. Et si hoc quoque lucrum parum uidetur, addetur ad cumulum æter-

nae uitae possessio in saeculo futuro. His dictis dominus Iesus confirmavit animos discipulorum suorum adhuc imbecilles, ne uel poeniteret reliquerentur, relinquerent, uel olim in admirationem temporalium diuitiarum relaberentur, utque dum uilibus rebus studerent ditescere, miserabiliter bonis animi pauperescerent. Est autem haec infelix rerum uicissitudo, quum quis ab animi bonis ad corporalia recidit, a ueris diuitiis ad inanes & fallaces relabitur, ab aeternis commodis ad caduca fluxaque reuoluitur.

Matth. 19. d

Multi autem primi, erunt nouissimi: & nouissimi, primi. Ne discipulis securitatem adderet, quod a domino ob relictas res & affectus neglectos essent collaudati, adiecit huiusmodi clausulam: Multi tamen qui nunc primi uidentur, erunt olim nouissimi: & qui nunc uidentur postremi, erunt olim primi. Nec de illis desperandum, qui nondum hoc possunt praestare quod exigit Euangelicus uigor, nec sibi debent fidere, qui iam ad gradum aliquem profecerunt. Sunt enim qui idem fecerunt quod uos fecistis, & ad sceleratiorem auaritiam relapsuri sunt. Et sunt qui nunc non possunt opes suas contemnere (quemadmodum iuuenis ille) qui post superabunt illos qui uidebantur omnia reliquisse. Postremo qui uisi sunt iuxta mundi iudicium opulentissimi, comparentur fuisse pauperrimi. Et qui in speciem uidebantur omnium rerum mundanarum contemptores, deprehendentur fuisse cupidissimi. Non enim in rebus sita est haec laus, sed in affectibus. Pauperior est qui quod casu obigit, sic habet quasi non habeat, facile donas quoties subleuandus est proximus, nec gaudio gestiens si quid accrescat, nec dolore contabescens si quid eripiat, quam is qui hoc ipsum pusillum quod habet magni facit, nec augendi facit illum finem. His dictis uidebatur Iudam notare, & qui illi similes in ecclesia fuerant: qui quum & ipse relictis omnibus sequutus esset Iesum, tamen post sceleratius auarus compertus est, quam is qui iuxta mundum sunt opulentissimi.

Matthaei 20. b
Luce 18. e

E Erant autem in uia ascendentes Hierosolymam, et praecedebat illos Iesus, & stupebant, & sequentes timebant.

Huiusmodi sermonibus Iesus paulatim fingeat ac formabat animos suorum aduersus tempestatem omnium grauissimam quae instabat, & a cuius ascensionem memoracione uehementer abhorrebat illorum animus. Iam enim coepit ascendere Hierosolymam, cuius nomen oderant discipuli, quod audissent illum dominum indigna passurum. Alibi nonnunquam praecedebat discipuli, ueluti cum esurientes uellerent aristas, in hoc itinere non poterant praecedere: difficile quidem iter est ascendere Hierosolymam, fortium & robustorum hoc est, & in quibus hic mundus iam nihil habet suum. Itaque praecedit Iesus, sequuntur discipuli, sed tristes & obmurmurantes, quod se uolens in manifestum uitae periculum conijceret. Et illius animum admirabantur, & sibi metuebant, ne per illum uenerent & ipsi in commune periculum. Tales discipulos tam crassos & infirmos tolerauit Iesus, & nos tædet imbecilles imbecillium ferre tarditatem: Ad regnum inhiant omnes, cupiebant esse consortes gloriae, & de primo loco disputabant, cæterum ab eo quod erat omnium maxime necessariū, totis animis abhorrebant.

Et assumens iterum duodecim, coepit illis dicere quae essent ei uentura: Quia ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis & senioribus, & damnabunt eum, & interficient eum, & tertio die resurget,

Dominus

Dominus Iesus nobis exemplum ostendens, ut in instituendo proximo magis ei tradamus quæ necessaria sunt quàm quæ iucunda, & salutaria magis quàm suauia, accersitis ad se duodecim, quos huius tempestatis aliqua ex parte participes etiam, non modo testes esse uoluit, infixit animis illorum, quæ prius tecte uobis. Ascendimus Hierosolymam, ut intelligatis me uolentem ac scientem partem quæ passurus sum. Non enim oportet fugere, quum tempus adest à deo præscriptum, Hierosolymis geretur hoc sacrificium, is locus huic uictimæ destinatus est, & scribarum, pharisæorum, & seniorum populi. Hi ueluti nocentem & impium damnabunt illum, & obiectis uarijs criminibus addicent illum supplicio capitis. Mox ut palàm facinorosum tradent illum gentibus, ut ab illis libribus afficiatur, cõspuatur. Deniq; flagellabitur & occidetur, sed à morte reuiscet die tertio. Hæc uos duabus potissimum de causis & scire & meminisse oportet: partim ne putetis hæc fortuito aut me incio uel inuito geri, quæ geruntur ex dei consilio omnia: partim ne uos oborta procella uelut inopinantes supra modum perturbet. Nec enim decet uos adeò indigne ferre, quod ego uolens & uestra causa & ex præscripto patris passurus sum: nec conuenit uos ad rem uelut inopinatam exanimari, cuius toties uos præmonui.

Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, dicentes: *Matth. 20, 21* **Matth. 20, 21** Quid uultis ut quodcunq; petierimus facias nobis. At ille dixit eis: Quid uultis ut faciam uobis? Et dixerunt: Da nobis ut unus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua.

Ad hunc sermonem quum uelut obtorpescerent apostolorum animi, nec auderent dehortari, accedunt priuatim ad Iesum duo ex discipulis Iacobus & Ioannes filij Zebedæi. Hi ad resurrectionis mentionem spem bonam conceperant, mox exoriturũ regnum illud quod toties promiserat Christus. Nondum penitus exuerant ambitionis affectum. Matrem enim subornant, per quam sibi postularent præcipuam aliquam dignitatem in eo regno. Sed priusquàm proponunt quid optent, obstringere conantur fidem domini, ne fas esset negare quod peterent. Ille ueluti non negaturus quicquid petissent, iubet ut eloquante, inquit, petimus hoc honoris in regno tuo, ut simus tibi proximi affessorum, alter ad dextram, alter ad leuam.

Iesus autem ait eis: Nescitis quid petatis: potestis bibere calicẽ quem **F** ego bibo, aut baptismo quo ego baptizor, baptizari? At illi dixerunt ei: Possumus. Iesus autem ait eis: Calicem quidem quem ego bibo bibetis, & baptismo quo ego baptizor baptizabimini: sedere autem ad dexteram meam uel ad sinistram non est meum dare uobis, sed quibus paratum est.

Dominus Iesus percontatione prodidit illorum ruditatem. Adhuc enim somniabãt regnum aliquod temporale, adhuc de primatu cogitant, sed tamen tempus non erat eorum crassitudinem obiurgare, cæterum ad mortis commemorationem unde abhorrebat illorum animus reuocat illos, dicens: Quæritis temporalem & inanem gloriam, nec cogitatis quibus rebus ad ueram regni mei

gloriam perueniatur. Ego uobis uiam aperiā, ea si placet, sperate gloriam optatam, sed ueram, non qualem uos somniatis. Potestis bibere de poculo de quo ego nunc paro bibere: potestis baptizari baptismo quo ego mox baptizabor. Quod iam poculum passionis dixerat ebibendum apostolis, id nunc uocabatur purissimum: fuit enim mortalitatis ipsi ablutio, & ad uitā cœlestem purgatio. Illi auiditate consequendi quod optabant, sicut stulte postularant, ita temere de se pollicentur, nondum sibi satis noti: Possimus. Nec hanc stultitiam discipulorum conuictus insectatus est clementissimus dominus: nondum enim uenerat tempus ut harum rerum essent capaces. Adhuc uelut per somnium audiunt quicquid audiunt, & tamen nihilo segnus format illos & instituit, sermonem ad illorum imbecillitatem attemperās, ut olim uelut expergefacti clare cognita per spiritum sanctum ueritate, hoc magis amarent dominum; qui quum talis esset, tales discipulos tam leniter pertulisset, & ipsi uicissim iam facti perfectiores, in proximorum quos instituerent imbecillitate perferenda, domini lenitatem imitarentur, nimirum memores quā rudes, quā obliuiosi, quā tardi fuissent & ipsi aliquando. Ambitiosa uox erat, Assideamus in regno tuo proximi: temeraria uox erat, Possimus, eorum qui mox essent dominum abnegaturi metu, sed error non ex malitia uerum ē simplicitate profectus, aut sanari debet aut ad tempus tolerari. Respondit itaque Iesus: De poculo quidem meo bibetis, de baculo quo baptizor baptizabimini, sed olim: nondum enim potestis quod uos posse confiditis. Huc igitur parate uestros animos: ceterū de premio quod uos omne relinquite deo patri. Vos tamē hoc agite, ut me immitemini. Sunt apud illum sua cuique parata prēmia, quæ pro suo arbitrio distribuet prout ipsi uiderint fuerit. Non enim hæc res agitur in regno cœlorum, quemadmodum in aulis principum, ubi non semper primus est dignitate qui merito primus est, sed cui rex maxime fauet: fauet autem aliquando deterrimo. Ceterum apud patrem meum nullus est respectus personæ. Nec uestrum est dispicere modum merito uestrorum, quum ex uobis ipsis nihil possitis, neque circumspicere quanto sitis alijs superiores, tantum pro uiribus à deo datis conandum est, ut me sequamini. Non fraudabimini prēmio, etiamsi de prēmio non cogitetis. Etenim qui prēmij causa certat, non certaturus nisi sciat dandum prēmium, is seipsum prēmio frustratur. Nemo sui iudex sit, sed conatum omnem adhibens iudicium cœlū deferat deo.

Et audientes decē, indignati sunt de Iacobo & Ioanne. Iesus autem uocans eos, ait illis: Scitis quia hi qui uidentur principari gentibus, dominantur eis, & principes eorum, potestatem habent ipsorum. Non ita est autem in uobis, sed quicumque uoluerit fieri maior, erit uester minister: & quicumque uoluerit in uobis primus esse, erit omnium seruus.

Malum ecce ex malo nascitur. Duorum discipulorum simplicitas prodidit aliorum maiorem etiam ruditatem. Etenim ubi rescuerat quid duo ambigebantur illis, quod parum agnoscentes mediocritatem suam, primum locum ambigebant postulare, qui potius alijs debebatur. Hi nimirum sunt affectus primos qui uiuunt in aulis principum: Sibi quisque placet, sibi quisque pollicetur primos honores, & alijs praelatis inuidet: nisi quod aulicorum ambitioni mixta est malitia, discipulorum ambitio mera simplicitas est. Atque interim eius sermonis pariter Iesus habuerat de minimo & maximo in regno cœlorum, de quo imitatione pariter uult,

uuli, profunda illis obreperat obliuio. Quod si quis roget, quam ob rem dominus tantam ruditatem tamdiu passus sit residere in discipulis, per quos statuerat Euangelicam philosophiã proferri per orbem uniuersum. Ideo potissimum passus est, ut hos affectus paulatim ac penitus ex animis suorum reuelleret. Et ideo toties sinit illos in eundem affectum relabi, ueluti si quis statim à febrì liberetur, protinus obliuiscitur & morbi & beneficij: si quis subinde recidens in morbum, tandem ægre liberatur, magis odit morbum suum, magis agnoscit sanitatis restitutæ beneficium, meliusq; nouerit alijs eodem obnoxij morbo medicamento ex eodem fonte proficisci, omnes simul aduocat, ut omnibus eodẽ pharaloo, nolite uobis fingere talem speciem rerũ, qualem uidetis in regnis terrenis. Scitis enim quod qui uidentur principatum tenere inter gentes huius mundi, dominatum exercent in subditos populos: & qui magnates sunt inter eos, potestatem suam exercēt in eos quibus præsumunt; caute ne quid tale sit inter uos. Hic iuuandi studium maiorem reddit, non ambitio honoris. Proinde quemadmodum & ante uos docui, Quicumq; uoluerit inter uos uere magnus esse, sit uester minister, nec semet erigat ad dominandum, sed seipsum deiciat ut prosit omnibus. Et quicumq; uoluerit inter uos esse primus, fiat omnium seruus. Nec sibi uindictæ dignitatem, sed obseruiat omnium utilitati, nihil hinc honoris sibi uenans, sed deo cui seruit in membris ipsius totam gloriam transcribens.

Nam & filius hominis non uenit ut ministraretur ei, sed ut ministra-
ret, & daret animam suam redemptionem pro multis.

Non pigeat uos hoc imitari quod in me uidetis expressum. Non enim uenit filius hominis in mundum, ut imperaret, ut alios seruitio premeret, sed ut omnium saluti subministraret, nec inserviret solum commodis omnium, uerum etiam seruis in libertatẽ afferendis semetipsum impenderet, ut unius dispẽditio plurimi seruarietur. Nimirum hic est principatus Euangelicus, quem qui uolet ambire meo ambiat exemplo, & expectet præmium, non quod ipse sibi præscribat, sed quod patri uisum erit largiri. Quemadmodum ego simpliciter obtemporo paternis iussis usq; ad crucem, arbitrium præmiij deferens illi. Impudens autem fuerit ad exemplum terrenorum principum ambire dignitatem, et à patre cœlesti quærere præmium. Aut ambite regnum cœlestè & expectate cœlestè præmium, aut si ambitis regnum huius mudi nolite postulare præmium regni cœlorum.

Et ueniunt Hiericho, & proficiscente eo de Hiericho, & discipulis e-

Matth. 20. d

Luce. 18. f. 8

cus & plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus, sedebat secundum uiam mendicans. Talibus monitis promouentur qui proficiscuntur cum Christo Hierosolymam. Etenim quo quisq; est purgator ab omnibus carnis affectibus, hoc instruetior est ad certamen crucis. Iam igitur peruenerant in ciuitatẽ Hiericho, quæ non ita multum abest ab Hierosolymis. Hiericho Hebræis Lunam sonat, ea typum habet huius uitæ, quæ nihil aliud est quàm perpetua nascentium ac morientium, agrotantium ac reualescentium, pubescentium & senescentium, lætiorum ac tristium uicissitudo. Nostra causa ex illa cœlesti tranquillitate descendit Christus, non tamen hic commemoratus est, sed Hierosolymam properat auidus

humanæ salutis. Atq; hæcenus sequuntur eum discipuli, simulq; cum his copiosa hominum multitudo. Vide autem ut nusquam Iesus non est hoc quod dicitur. Aut docet, aut sanat, aut uiuificat. Quod mors illius erat effectura per Euangelij prædicati fidem, hoc exhibet imagine corporali. Cæcū erat genus humanum, ignorantia ueri; mendicum erat, inopia uirtutum omnium. Nisi transisset nos Iesus, nō erat spes lucis. Sedebat enim iuxta uiam mendicus quidam aduenire Iesum clamare cœpit ac dicere: Iesu fili Dauid, miserere mei.

Qui cum audisset quia Iesus Nazarenus est, cœpit clamare & dicere: Iesu fili Dauid, miserere mei. Et comminabantur illi multi, ut taceret. At ille multo magis clamabat: Fili Dauid, miserere mei.

Primum rumor Euangelicus annunciat nobis transire & esse nobis præsentem dominum Iesum: porro mox concepta fiducia de illo, non committit ut nobis tacitis pertranseat, sed agnoscens suam miseriam inclamat misericordem. Luci proximus est qui cæcitatæ suæ magnitudinem agnoscit. Non est ista uox pharisaica, Miserere, qui sibi uidentur sancti & oculati, sed Euangelica, Nec ista, Fili Dauid. Dicunt enim: Nōne hic est filius fabri? Plus cæcus ille uidebat per tenebras, q̄ hodie cernunt Iudæi, qui iactant legis scientiam, sedq; profitentur duces cæcorum. Sed misero uociferanti obstat turba. Quid enim aliud potest turba quàm obturbare? Reclamat illi conscientia, non una uoce, sed tot uocibus quot admissorum sibi cōsciū est animus: Quid tibi est Chriſte, sed tot peccatis inquinato? Reclamat lex: Frustra clamas, iustus est deus, expecta pœnas tuorum scelerum. Reclamant magistratus synagogæ: Ne quis hoc nomen Iesu prædicet, ne quis nominet: non est salus in Iesu, sed in Mose. Obstreant & philosophi & principes ethnici. Sed ut agnoscas in cæco fiduciam uere Euangelicam, non cedit reclamanti turbæ, & adeo non cedit, ut obiurgatus iussusq; tacere, ualidius etiam uociferetur: Fili Dauid, miserere mei.

Et stans Iesus præcepit illum uocari. Et uocant cæcum, dicentes ei: Animæquior esto, surge, uocat te. Qui proiecto uestimento suo exiit, uenit ad eum.

Offenditur turba clamore mendici, Iesus solus non offenditur, sed resistit, iussitq; cæcū accersiri ad sese. Audierat Iesus transiens clamorem, sed dissimulabat. Non erat hoc difficultatis, sed elicientis ad exemplum aliorum insignem cæci fiduciam: ac per cæcum omnes docere uoluit, quibus modis lux extorqueri possit à Iesu. Prima spes est resistere ad nostrum clamorem. Secunda per doctores Euangelicos, aut etiam afflatibus arcanis ad ipsum accersiri. Nec enim cæcus ille ad Iesum uenire poterat, sine ductu doctrinæ sacræ, quæ nobis aspernanda non est, etiamsi per hominem administratur. Feliciter autem uocant apostolici uiri cæcum, quoties iussu Iesu uocantur ad Iesum. Sed hodie sine ne iussu Iesu uocāt, non ad Iesum, sed ad diuos multos, ad præsidia philosophiæ humanæ, ad obseruantiam legalium ceremoniarum, ad huius uitæ commodam promouenda. Hi nimirum ex cæco reddunt cæciorem. Sed apostoli iussis domini obtemperantes, uocant eum ad Iesum, & adeo non obstreant, quem ad modum turba, ut bene speranti fiduciam addant, dicentes: Bono sis animo, surge, uocat te Iesus. Ex his uerbis tantam spem concipit cæcus, ut abiecto pallio quo defendebatur aduersus frigoris iniuriam, exiit & cucurrit ad dominum Iesum se uocantē. Quoties tu quoq; uocaris, o Lector, ad Iesum, nec

nec abijcis pallium, nec exilis, nec accurris ad uocantem, sed tergiuersaris, disfers, hæsitas, caufaris, torpescis in fordibus ac tenebris tuis, malens in sordido pallio stipem emendicare ab hoc mundo ob uile commodum, quam ab Iesu lucem accipere, quæ summam totius felicitatis complectitur. Vocaris autem toties ad Iesum quoties lecta aut audita doctrina Euāgelica, aut arcano quopiam spiritus afflatu attraheris. Statim autem reijcienda sunt omnia, quæ remorari solent à tanta felicitate, à salute tanta. Veniente ad te Iesu noli grauari uicissim illi occurrere, idēp ilico: non enim semper habebis transeuntē Iesum. Certe post mortem neminem uocat ad salutem dominus Iesus, sed ad iudicium. Hic transiens audit clamantem, Miserere mei, hic restitat, hic uocat, illic illuminat.

Et respondens Iesus, dixit illi: Quid tibi uis faciam? Cæcus autem dixit ei: Rabboni, ut uideam. Iesus ait illi: Vade, fides tua te saluum fecit. Et confestim uidit, & sequebatur eum in uia.

Quid? An ignorat Iesus cur ille clamasset? An ipse nesciebat quid esset facturus? Nequaquam, sed nobis agitur hæc fabula. Multi credebant cæcum expectare stipem à domino, quando quidem mendicus erat. Audiamus cæcum scientem quid sit à Iesu petendū. Rabboni, hoc est præceptor mi, fac ut uideam. Cæterarū rerum omnium securus optat unum hoc, ut cernat deum & Iesum filium eius, quem nosse est uita æterna: nam nosse deum uidere est. O precatio nem uere Euangelicam, quantum habet uerborum, sed quantum fiducia? Nimirum hæc est illa breuis precatio, quæ cælos penetrat. Iesus itaq; respondit, sed saluus esse non potest qui nihil cernit oculis animi. Hos oculos recepisse salus est æterna. Audi uocem hanc quisquis es uir pharisaicus, qui dicis, Crebris Ieiunijs, prolixis deprecationibus, elemosynis meis, sacrificijs meis salutem acceptam fero, & ideo non clamas, Miserere, sed, Redde præmium quod merui pro bonis meis operibus. Contra Iesus fidei tribuit salutē non operibus. Illico uisum recipit cæcus, non quia meruerat, sed quia credebat. Ac iussus abiire sequutus est Iesum. Gratis data lux est, gratis adempta cæcitas: tuum nunc est, utrum dono dei bene an male uelis uti. Non cogeris sequi, tantum datū est ut cernas Iesum, non redijt ad pristinam mendicitatem, sed oblitus omnium sequutus est Iesum in uia. Parum est nouisse Iesum, nisi quē uides studeas amulari. Iesus recta ad crucem proficiscitur, huc illum receptis oculis sequaris oportet, idēp per fidem, intelligens per ignominiam temporariam perueniri ad æternā gloriam, per corporis cruciatus ad gaudia æterna, per mortem ad uitam sempiternam.

CAPVT XI.

M T cum appropinquaret Hierosolymæ & Bethaniæ ad montem Oliuarum, mittit duos ex discipulis suis, & ait illis: Ite in cauetis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit, soluite illum, & adducite. Et si quis uobis dixerit, Quid facitis? dicite: quia domino necessarius est, & continuo illum dimittet huc.

Nondum erat peractū in animis discipulorum, quod Iesus per imaginem expresserat in cæco, Nondū clare cernebant quā felix sit mors, Christi mor-

A
Matth. 21. 4
Lucæ 19. 6

tem imitantium. Adhuc somniant regnum huius mundi. Dominus itaque quo magis infigeret animis illorum, quam non sit affectandum hoc regnum his, qui Iesum sequi uelint, spectaculum quoddam oculis illorum exhibet, quo derideret huius mundi gloriam ut rem temporariam, moxque perituram. Sed eadem opera declarauit, sese quicquid libuisset imperare potuisse quibuslibet, nisi patris uoluntati maluisset obtemperare. Postremo testatum omnibus esse uoluit, se esse illum quem tot saeculis Iudaei ex prophetarum oraculis expectarant uenturum ad salutem totius mundi. Iam itaque propior factus Hierosolymis, nimirum iuxta Bethphage & Bethaniam, quae duo oppidula sunt ad montem qui dicitur Oliuarum. Vnde Hierosolyma erat in prospectu. Illinc mittit duos ex discipulis suis cum huiusmodi mandatis. Ite, inquit, in uicum illum, quem uidentis e regione, & ingressi statim ad portam, inuenietis asinae pullum, quem uidentis adhuc, & cui nullus hominum haecenus insedit, soluete eum, & adducite huc ad me. Quod si quis uos interrogauerit, Quare soluete pullum? dicite, dominus hoc habet opus, & ilico mittet huc ad nos. Bethaniam uero dicunt stadiis duodecim distare ab Ierusalem. Est autem Oliuarum mons medius inter Ierusalem & Bethaniam, & ideo propinquus utriusque.

Et abeuntes, inuenerunt pullum ligatum ante ianuam foris in biuio, & soluunt eum. Et quidam de illic stantibus, dicebant illis: Quid facitis, & dimiserunt eos. Qui dixerunt eis, sicut praeeperat illis Iesus, & dimiserunt eos.

Abierunt ut iussi erant discipuli, uenerunt, repperunt asinae pullum alligatum pro foribus, duxerunt ad Christum. Hic etiam atque etiam te Lector admodum esse uolo, non solum quae locutus est Iesus Christus, uerum etiam quae cunctaque gessit per omnem uitam non esse fortuito gesta, sed ex consilio diuino ad humani generis eruditionem. Nihil enim est quod non habeat aut exemplum nobis ad pietatem expressum, aut representationem ueteris prophetiae, aut exhibitionem figurarum quibus lex uelut aenigmatibus quibusdam Christum significat, aut significationem rerum postea uenturarum. Id quum in omnibus quaestione gestis uestigandum sit, tamen quo propius accessit ad diem mortis, quaestrae salutis negotium praecipue peragendum erat, hoc sacratoribus mysterijs plena sunt omnia. Nimirum instabat illud tempus, de quo praedixerat ille, uerhemer sitiens salutem omnium: Quum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Nam angusta erat illius charitati Iudaea, & illic fructus Euangelij non respondebat operi studioque cultoris. Accersitur itaque pullus asinae patris, cui nullus hominum insederat. Is est populus gentium, nec legi naturae praerant Moses, presserant prophetae. Ad gentium autem uocationem emittuntur aliquot ex nouis discipulis, qui accersant non ad Moysen, sed ad Christum. Hic non erant defuturi qui obstreperet, Quid facitis? cur soluete pullum? nam pullus & multos & incertos habebat dominos, & alligatus erat, & stabat in biuio. Qui non paret legi dei, tot habet dominos quot seruit uitijs. Et alligatus est uisum domum non habeat, sed pateat in biuio cuius occupanti. Verum accersenti legem su nemo potest resistere. Iudaei clamabant: Haec salus nobis promissa est, unde gentes idololatrae miscetur nobis? His responsum est, Qui dominus est uniuersorum talibus pullis opus habet. Iam frustra laborando apud Iudaeos lassus est, in rudi pullo cupit conquiescere. Non offendit ruditas modo ad sit obedientia fidei.

fidei. Nouo fessori nouo iumento est opus. Nouam ex gentibus sibi Christus subdit sacrosanctam ecclesiam.

Et duxerunt pullum ad Iesum, & imponunt illi uestimenta sua, & sedit super eum: Multi autem strauerunt uestimenta sua in uia: alij autem frondes caedebant de arboribus, & sternebant in uia. B

Adiuuant hanc sacram pompam ac humilem apostoli, nondum intelligentes quid ageretur. Insternunt pullo sua pallia, ne nudum tergum premeret dominus Iesus. Discipulorum sedulitatem imitare quisquis es doctor Euangelicæ. Vbiuicq; uideris rudem asinæ pullum alligatum in biuio, ignarum legis sed qui pariturus sit si quis adducat, hunc soluito, adducito ad Iesum, insternito pallia sanæ doctrinæ, & tergum illius dignabitur premere dominus omnium uestibus suis, hoc est exemplis Euangelicæ pietatis. Nonnulli etiam ramis ex arboribus decisis ornabant uiam, præsertim è palmis quæ uirginū & matrum habent typum. Per talem uiam tali iumento magnificum & regale putat incedere dominus omnium Iesus. Cum hoc spectaculo mihi paulisper confer, o Lector, aliquem ex his qui apud Iudaicos sacerdotes primas tenebāt, ac primum illud cogita, qualis & quantus sit hic qui uehitur asinæ pullo. Filius est dei, cui pater tradidit omnem potestatem in cœlo & in terra. Seruator est ac gubernator totius mundi. Author dominus ac rex omnium quæ condita sunt. Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedech, qui nutu poterat quicquid uolere patri omnipotenti. Cum huius dignitate compone unius templi pontificē, qui Iesu caput, cum huius auro gemmisq; lucentem Tiara. Confer modestū illum & mansuetum Iesu uultum, cum huius facie fastu turgida, fronte torua, supercilij adductis, oculis elatis, ore procaci. Confer nudas Iesu manus ad huius digitos annulis & gemmis onustos. Confer Iesu simplicem ac plebeiam uestem cum huius ornatu tragico, in quo nihil uilius purpura & auro. Confer discipulorum pallia cum ephippijs aureis, cū stragulis hyacinthinis, cum stapedibus argenteis, sed inauratis. Confer publicum asinæ pullum, gestatorem Iesu, cum tot ueliculis, tot lecticis, tot sellis curulibus, uni homini gestando paratis. Confer paucos & humiles Iesu discipulos, cū plus q̄ regali pompa anteambulonū, puerorū insigniū, tubarū, lituorū, stipatorū, satellitū, equitū ac peditū turmis: in quibus ut quisq; superbissimus est, ita pōtifici proximus est et acceptissimus.

Et qui præibant & qui sequebantur clamabant dicentes: Hosanna, benedictus qui uenit in nomine domini, benedictū quod uenit regnū patris nostri David, Hosanna in excelsis.

Confer puerorum acclamantiones, qui præcedentes ac sequentes Iesum afflati diuino spiritu, canebāt illud ex prophetia Psalmi: Hosanna, inquit, hoc est saluifica obsecro. Benedictus. Hæc insuper quoq; confer cum prophanis ac clamationibus quibus Iudaico & scelerato pontifici acclamat adulatorum chorus: *Viuat sanctissimus pontifex, uincat summus sacerdos dei, regnet beatissimus religionis princeps.* Quam huiusmodi pontifices auersetur Iesus, illud argumentum est quod totum illud fucatum & superbum sacerdotiū cum suo tem-

plo deleri iusserit. Siquidē hi sunt per quos etiam hodie perimitur Iesus in membris suis. Solus uult esse sacerdotij princeps. Tales autem quærit ministros, qui adducant asinum, qui insternant sua pallia, qui palmorum ramis conseruant uiam, qui acclamationibus pijs agnoscant aduenisse regnum Euangelicum a prophetis promissum. Nec audit obmurmurantes phariseos, quibus non placet hæc acclamatio, dicens: Vel illos lapides clamatuos citius, quam ut taceretur dei gloria.

Matthæi 21, 6
Lucæ 19, 8

Et introiuit Hierosolymam in templum, & circumspexit omnibus cum iam uespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.

Tali pompa rex Iesus ingressus est regiam ciuitatē Hierosolymam, ingressus est templum cœlestis sacerdos, atq; illic quod rege sacerdoteq; dignum est docuit populum, sanauit ægrotos, restituit debiles, ueluti tyrannidem occupat in regno alieno. Discruciantur interim impij sacerdotes & pharisei cum populi primatibus, sed acclamat simplex & docilis turba, id quod ab illo tēpore constat toto mundo Christo domino acclamari, inuitis omnibus mundi amaroris. Iesus autē uelut instauraturus collapsam templi religionem, quæ tamē phariseis auaricisq; sacerdotibus maxime uidebatur florere, collustrauit totum templum, obseruans si quid illic gereretur templo dei indignum: non quod illi magno opere curæ fuerit quid in eo templo gereretur, quod paulò post nouerat esse demoliendum, sed imagine quadam rei corporalis declarare uoluit qualem uellet suam ecclesiam quam ædificabat ex uiuis lapidibus. In his conuenit obambulare pontificem, et circumspicere ne quid sit quod templum deo dicatum prophanet. Prophanat autem ambitio, quæstus turpis, auaritia, fraudulentia: has abominationes non fert in templo suo dominus Iesus. Quum autē iam uespera peteret uespera, reuersus est in Bethaniam, quod in tam opulenta tamq; superba ciuitate non reperiret hospitium Iesus. O religionis apicem, quæ non fert religiois omnis antistitem. O falso dictam Ierusalem, quæ cupiditatibus terrenis excæcata, non agnoscit pacificatorem suum. O felicem Bethaniam, quæ sine leuis operibus per simplicem obedientiam fidei meretur habere hospitē Iesum.

Matth. 21, 6

Et alia die cum exirent à Bethania, esuriit. Cumq; uidisset à longe figum habentem folia, uenit, si quid forte inueniret in ea. Et cum uenisset ad eam, nihil inuenit præter folia: non enim erat tempus ficorum. Erespondens, dixit ei: iam non amplius in æternum quisquā ex te fructum manducet. Et audiebant discipuli eius.

Postero die quum diluculo rediret Hierosolymam, relicta Bethania, inter uiam coepit esurire Iesus. Vere famelicus humanæ salutis, & illi suauissimus panis erat ex uoluntate patris redimere genus humanum, sicut & suauissimum animæ panis est certo scire per fidem se redemptam per mundi totius hominiserem Christum dominum crucifixum. Quanquam & iuxta naturam carnis assumptam uere esuriebat, ac famis molestiam sentiebat, quemadmodum carere sentiunt homines ex corporis siccitate. Itaq; cum procul uidisset ficum arboris, uidentibus folijs pollicentem aliquid fructus, accurrit ad illam, si quid haberet quo fami succurreret. Ingens dolor, quum esurias nō esse quod edas, sed longe uehementior homines perire per incredulitatem suam quum seruare cupias. Quumq; uenisset ad ficum, ac frustratus lenocinio foliorum, nihil in core periret fructus, execratus est eam, dicens: Posthac nemo fructum ex te edat in æternum. Hæc taciti secum admirati sunt discipuli, quod deuouisset arborem, maxime.

maxime cum nondū esset tempus quo solet hoc genus habere ficus, Habet quīdem fames corporis bilem suam, sed acriorem habet fames Euangelica, Omnis mora dilata salutis longa erat Christo, Et habent arbores statuta tempora quibus cadunt fructus suos, ut iniquus uideatur qui sterilitatem perpetuam impreceatur ei quæ non ante tempus produxit. Ad hæc quid attinebat Iesum accurrere ad ficum, excutere si quid esset fructuum, quum sciret nihil esse? Verum hæc absurditas rei iuxta speciem corporalem reddebat apostolos attentiores, eosq̄ relegabat ad scrutationem sensus mystici. Dominus Iesus esurientissimus humanæ salutis, reperit fructum in arboribus infrugiferis, quæ nullam spem de se præbebāt, in meretricibus, in publicanis, in peccatoribus, in ethnicis, in Chænanæa, in Samaritis; in solis sacerdotibus scribis et pharisæis, qui dulcissimi fructus Euangelici summam de se spem præbebant, nihil omnino fructus inuenit. Tenebant arcem religionis, obuersabantur in templis, tenebant legem & prophetas, pallebant ieiunijs, prolixè orabant, dabant eleemosynas, quin & stolæ mirum erant folia, uel ante tempus præcocem fructum pollicentia. Sed dominus hoc docere uoluit, nihil esse deploratius impietate, falsa religionis specie furcata. Hæc ficus meretur execrationem Iesu, ne quis foliorū pompa deceptus, ex hoc hominum genere posthac speret ullum fructum suauissimæ charitatis Euangelicæ.

Et ueniunt Hierosolymam, & cum introisset in templum, coepit eis uendere & ementes in templo, & mensas nummulariorum & cathedras uendentium columbas euertit, & non sinebat ut quisquā transferret uas per templum, & docebat, dicens eis: Nonne scriptū est, Quia domus mea, domus orationis uocabitur omnibus gentibus? Vos autem fecistis eam speluncam latronum.

Relicta ficu quæ nihil commeruerat uentum est Hierosolymā, quæ ficum habebat moralem, tamdiu frustra alitam & stercoratā, nec aliud producentem quam folia. Quumq̄ esset ingressus templum, rursus imaginem exhibuit, quæ moneret quæ puritas deceat ecclesiam Euangelicam, quæ pectus Christi spiritui dicatur. Siquidem è funiculis cōtexto flagello profligauit è templo turbamentum & uendentium, quin etiā mensas nummulariorum & cathedras uendentium columbas euertit. Nec patiebatur ut quisquam uas aliquod prophanum deportaret per templum. Addidit Isaiæ testimonium, ne frustra uocabitur cunctis gentibus? Vos autem fecistis illam speluncā latronum. Idem agentes fraudulencia sub prætextu cultus diuini, quod latrones faciunt in itinere, non magnopere dominus curabat illius templi, quod cum suis ritibus uolebat aboleri, puritatem, sed noui templi cuius ipse futurus erat architecton, insignem puritatem nobis commendabat. Subindicans interim & illud, merito sacerdotēs scribas et pharisæos submouendos à principatu religionis, qui ueterem etiam illam ac figuratam religionem sua auaritia, fraudulencia, simulatione, omniq̄ spurcicia genere contaminassent ac prophanassent. Nunquam legitur æque commotus Iesus, nunquam æque sæuisse. Quid factururus esset, si conspiciat suam sponsam ecclesiam, quam suo sanguine lauit, ut exhiberet sibi puram, expertem omnis maculæ ac rugæ, per episcopos ecclesiæ præfectos omnium turpitudinis genere prophanari, uiolari, conspurcari: qui non solum pecu-

C
Isaiæ 56.e
Ierem. 7.b

des & columbas, sed omnia sacra habent uenalia, quæ pretio nec dari possunt nec emi. Conspicit, haud dubie cōspicit, tametsi dissimulare uideatur, nec ideo pœnam effugient tales quia dei lenitas toleret eos ad pœnitentiam: nec tunc aliquando, nec tunc terribilis ille funiculus, qui templi sacri uiolatores efficit, non tantum suo tempore in gehennam, sed in summum opprobrium omnium hominum deum timentium in toto orbe terrarum, ut confundantur in semet ipsis, & indurati merito perdantur & deleantur.

Quo audito, principes sacerdotum & scribæ quærebant quomodo eum perderent: timebant enim eum, quoniam uniuersa turba admirabatur super doctrina eius.

Ut autem intelligas quanta pestis sit sacerdotum ac pharisæorum auaritia, ubi hæc uiderunt qui primas tenebant inter sacerdotes & scribas, ad quos maxima quæstus pars redibat, uiam quærunt qua possent Iesum extinguere. Offensa cum uere sterilem & execrabilem. Venditabant sese ut antistites puræ religionis, & indignantur è templo deturbati templi contaminatores. Aderant mens ad parricidium parata, sed quæritur occasio, per quam quod optabantur to perficeretur. Soli non poterant amare illum amabilem Iesum, nulli nocentem, omnibus subuenientem. Tantum metuebant illum, propterea quod populus suspiceret illius doctrinam, & ob conspecta miracula magnifice de illo sentiret. O præposteram religionem in religionis professoribus. Iam impio facinore concepto non metuunt deum ultorē, cui nihil occultū, & populū ferunt dant. Cur non saltem metuunt ipsum Iesum? Viderant & audierant ab eo tot ædita miracula, quæ planè illi præsentem diuinam uirtutem quorū immitte, testificabantur. Qui potest profligare dæmonia, multo facilius potest eripere, re. Qui uerbo reuocat ad uitam exanimes, multo facilius potest uitam eripere. Si credunt tam clementem ut nolit quenquam quum possit lædere, cur talem cæcitas, qui sibi soli uidebantur oculati.

Matth. 21, 6

Et cum uespera facta esset, egrediebatur de ciuitate. Et cum manes transirent, uiderunt ficum aridam factam à radicibus. Et recordatus Petrus, dixit ei: Rabbi, ecce ficus cui maledixisti aruit.

Iam ergo quum rursus appeteret nox, Iesus totū diem uersatus in templo ieiunus reliquit Hierosolymam. Toties relinquit urbem offensus eorum pertinaci incredulitate, toties repetit, ut aliquem fructum inueniat in tam magnifica foliorum pompa. Sed utinam execranda ficus tantum fuisset sterilis, nec leuiter uenenum produxisset. Iesus instante iam mortis tempore, nullum tempus sinu elabi sine fructu. Diem consumit in templo, noctē impendit precationi, ac priuatim animandis discipulis. Rursum quum mane redeunt à Bethania Hierosolymam, ac præterirent ficum, animaduertunt discipuli iam arefactam arborem ab ipsis radicibus usq; ad summum cacumen. Recordatus est Petrus quod pridie fecisset Iesus, et agnouit ficum quā fuerat execratus, atq; admirans quod tota tam subito aruisset radicitus, ait domino: Præceptor, ecce ficus quam execrabaris iam aruit. Mirabatur hoc Petrus, quū longe maiora uidisset frequenter, uidelicet oblitus, nihil esse tam difficile quod non possit fides.

Et respondens Iesus, ait illis: Habete fidem dei: amē dico uobis quod quicumq; dixerit huic monti, Tollere & mittere in mare, & non hæsitauerit

uerit in corde suo, sed crediderit quia quodcuncq; dixerit, fiat: fiet ei.

Ex fide fructus omnis Euangelicus nascitur. Ea quoniam deest synagoga, uideamus quomodo exaruerit. Floret ac germinat gentium ecclesia, tot martyrum coronis, tot uirginum gemmis, tot uirtutum exemplis: quid autem Iudæorum populo deploratius, abiectius, aut sterilius? Vbinam est legis authoritas? ubi religionis admiranda species? ubi templum? ubi sacerdotium? ubi regnum? ubi fastus scribarum & pharisæorum? An non tota ficus exaruit? Vos, inquit, igitur si florere uultis, habete fiduciam, non in uestris uiribus, sed in deo. Illud pro certo confirmo uobis, si quis certa fiducia de deo concepta, iusserit arescere ficum, quod uos factum admiramini, non solum hoc ilico fiet, uerum etiam si dixerit huic monti, Moue te loco, aut, Conijce te ipsum in mare, tametsi uideatur admodum impossibile, tamen si dixerit, nihil hæsitans in corde suo, sed concepta in anima certa fiducia, futurum quicquid dixerit, fiet quicquid iusserit. Hæc in deum fiducia præstabit, ne quid à deo frustra petatis. Ideo me sponsore confidite, quod quicquid petieritis à patre nihil addubitantes quin ille sit quod rogatis largiturus, obrinet uobis, modo mens sit immunis à cupiditate uindictæ, modo rem petatis salutiferam.

Propterea dico uobis, omnia quæcuncq; orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient uobis. Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, ut & pater uester qui in cælis est dimittat uobis peccata uestra. Quod si uos non dimiseritis, nec pater uester qui in cælis est dimittet uobis peccata uestra

Matthæi 7. 9
22. e
Lucæ 11. 6
Matth. 5. 6
Ecclesi 28. 4
D

Nihil impetrat qui diffidit. Etenim qui diffidit aut credit patrem non posse præstare, quum ille nutu possit omnia, aut non uelle præstare quod recte petitur, nihil impetrat & ille, & si confidit impudenter confidit, qui rogat patrem ut sibi remittat quæ deliquit in eum, quum ipse nolit remittere fratri quod in ipsum admisit. Proinde cum composueritis uos ad orandum, ex animo remittite, si quis aliqua in re uos læsit: hac conditione pater uester qui in cælis est remittet uobis peccata uestra, Quod si uos nolitis condonare proximo culpam in uos admissam, nec pater uester cœlestis uobis gratiam faciet delictorum in se admissorum. Qui magna affectione credit, cor suum omnino extendit ad deum. Et quid facit? Vnitur illi, & feruefactum cor eius magnam certitudinem sumit quod uoti compos fiat, id quod experti sciunt omnes. Opinor autem omnes hoc experiri, qui uel mediocriter attendunt, propterea dicit Christus, quod omnia accipietis quæ cum fide petitis. Qui autem credit, totum se deo dat, cum lachrymis deo colloquens, quasi pedes domini precando tenere se putas. Vis autem & alia ratione accipere quæ petis, dimitte si quid in te peccauerit frater. Hic ad dicit Beda: Solent quidam dicere quod nostri nondum plenam fidem habuerunt, qui montes transferre non potuerunt. Quibus respondemus: Non omnia facta Christi & discipulorum scripta sunt. Et hoc tamen legimus factum precibus Gregorij Neocæsariensis episcopi &c. Idem: Notanda est distinctio deprecantium. Qui perfectam fidem habet orando uel iubendo, etiam potest transferre uel corporales montes, uel superbiorum impiorum molimina: ut Paulus de Elyma mago, quem oculis & arte nefanda priuauit, & de Phytionissa in Philippis. Qui autem ad fastigium tantæ perfectionis pertingere nequeunt, hi sibi peccata à deo remitti orant, & certissime exaudientur, si tamen in se peccantibus primo remittant.

Math. 21. c
Luce 20. d

Et ueniunt rursus Hierosolymam. Et cum ambularet in templo, ac cedunt ad eum summi sacerdotes & scribæ & seniores, & dicunt ei: In qua potestate hæc facis? & quis dedit tibi hanc potestatem ut ista facias?

His in uia gestis, rursus perueniunt Hierosolymam, ac Iesus ex more templum adit, Iesus in templo salus est in ecclesia. Nec alibi magis uersari decet eos qui Christi uices gerunt quam in templo. Versantur autem in templo, qui tractant ea quæ dei sunt, non quæ sunt huius mundi. Quid agit episcopus in ecclesiis? quid in theatris? quid in principum aulis? Iuxta corpus in templo uersabantur pharisæi, scribæ, sacerdotes, ac seniores, iuxta spiritum procul aberant à templo. Ergo qui principatum tenebant inter sacerdotes, adiunctis sibi scribis populicis primoribus quo res uideretur legitimo consilio geri, quum uiderent dominum in templo doctrina sua occupantem aures multitudinis, ac detestantem uasa per templum excluderat) adeunt illum, & interpellant refricantes ueterem calumniam, ac dicentes: Qua tandem autoritate facis ista? & quis tibi dedit istam potestatem? Doctrinam non poterant refellere, nec miracula inuoluntarii fieri poterant, tam multa tamque manifesta, nec calumniari poterant, quum nullum non impenderit seruandis hominibus, idque gratis. De autoritate uentantur ansam calumniandi: nolebant enim hanc gloriam deo tribui, ac suam autoritatem ubique uolebant pollere plurimum. Si Iesus quem nihil aliud quam hominem esse credebant, sibi uindicasset autoritatem dei, parata erat blasphemiae calumnia: sin minus, in promptu erat calumnia seditionis, quod autoritate priuata tantum auderet in templo sine permissu sacerdotum ac seniorum. Quid autem opus erat mouere quæstionem de autoritate, quum ipsa facta clarescerent deo autore geri quod gerebatur? quum res ipsa loqueretur hunc esse se quem deus olim per prophetas uenturum esse promiserat: quum parerent baptismum sua uoce declarasset hunc esse filium suum unice dilectum, cui deus aliud ualebat quam ad impediendam dei gloriam, sed horum peruersa uoluntas proficiebat etiam ad illustrandam dei bonitatem ac potentiam.

Iesus autem respondens, ait illis: Interrogabo uos & ego unum uerbum, & respondete mihi, & dicam uobis in qua potestate hæc faciam. Baptismus Ioannis, de cælo erat, an ex hominibus? Respondete mihi. At illi cogitabant secum, dicentes: Si dixerimus de cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis ei? Si dixerimus ex hominibus, timemus populum: omnes enim habebant Ioannem quia uere propheta esset. Et respondentes dicunt Iesu: Nescimus. Et respondens Iesus, ait illis: Neque ego dico uobis in qua potestate hæc faciam.

Dominus Iesus non ignarus quid illi captarent: quicquid enim respondisset, fuerant calumniaturi, nec adhuc tempus adesset ut se profiteretur esse quod erat, percontationem insidiosam prudenti percontatione retudit. Hac, inquit, lege respondebo uestræ interrogationi, si mihi prius ad meam quæstionem responderitis. Ioannis baptismus utrum erat de cælo an ex hominibus? Expediunt mihi hanc quæstionem. Quam facile diuina sapiëntia capit humanam astutiam omnibus technis molientem aduersus dei consilium. Habebat cor plenum humana uersutia, conuocant in pectore dolos omnes, & qui captabant sententiam sibi

sibi paratos laqueos. Sic enim apud se cogitabant: Si dixerimus e caelo, respon-
debit: Cur igitur non credidistis ei de me testificantis? Si dixerimus: Ex homini-
bus, periculum est ne populus in nos faciat impetum: nam summa erat apud po-
pulum Ioannis autoritas, ac sancta etiam memoria, quod nemo dubitaret quin
uere propheta fuisset. Itaque quanquam essent superbi, tamen pudescere male-
bant quam uel reuinci uel lapidari. Proinde Iesu responsum exigenti dicunt:
Nescimus. Iesus quoque par pari referens, ait illis: Si uos mihi nescitis quod scia-
tis, nec ego dicam uobis per quam autoritatem faciam qua facio. Conferte fa-
cta mea cum factis & uerbis illius, & expendite an, si non dubitatum est de illius
autoritate, conueniat de mea dubitare? Duabus de causis scientia ueritatis oc-
cultatur quaerentibus, quum aut is qui quaerit minus intelligit, aut odio uel con-
temptu ueritatis indignus est cui debeat aperiri.

CAPVT XII.

T coepit illis in parabolis loqui. Vineam pastinauit homo, & **A**
circumdedit sepem, & fodit lacum, & aedificauit turrim, & loca Matth. 21. d
uit eam agricolis, & peregre profectus est. Et misit ad agricolas Luce 20. b
in tempore seruum, ut ab agricolis acciperet de fructu uineae. Qui ap- Isaie 5. a
prehensum eum caeciderunt, & dimiserunt uacuum. Et iterum misit ad Ierem. 2. d
illos alium seruum, & illum in capite uulnerauerunt, & contumelios af-
fecerunt. Et rursus alium misit, & illum occiderunt, & plures alios, quos
dam caedentes, alios uero occidentes.

Cum ex hac quaestione utcumque fuissent elapsi sacerdotes scribae & primo-
res, quoniam senserant insidias, Dominus Iesus per enigma proponit eis aliam
quaestionem, ad quam dum imprudenter respondent, & suam ipsorum dam-
nam in tempore seruum, & fatentur autoritatem quam hactenus iactabant merito ad
& sepem circumdederat ne pateret incurisibus, ac foderat in ea lacum excipi-
endo musto, denique extruxerat in ea turrim ad custodiam uineae. Atque ita rebus
omnibus affatum instructam, locauit agricolis, moxque peregre profectus est.
Quum autem adesset uindemiae tempus, misit ad agricolas illos quibus locaue-
rat uineam seruum suum, ut a colonis reciperet fructum quem uinea reddidit.
At illi conspirati seruum lenis misit ad illos alterum e seruis suis. Illi uero lenitate do-
mini facti deteriores, coniecerunt in seruum saxis comminuerunt illi caput, mul-
tisque contumeliosis affectum remiserunt fructu uacuum, sed iniurijs onustum. At
lenissimus dominus, ne sic quidem procurrit ad ultionem, sed tertio seruum mi-
sit, hunc etiam occiderunt. Rursus quum alios atque alios misisset, omnes aut pul-
sarunt aut interfecerunt. Haec omnia satis clara sunt ex dictis in Matthaeum
capite 21.

Adhuc ergo unum habens filium charissimum, & illum misit ad eos
nouissimum, dicens: Quia reuerbuntur filium meum: Coloni autem
dixerunt ad inuicem: Hic est haeres, uenite, occidamus eum, & nostra erit
haereditas, & apprehendentes eum occiderunt, et eiecerunt extra uineam.
Quid ergo faciet dominus uineae? Veniet & perdet colonos, & dabit
uineam alijs. Nec scripturam hanc legistis: Lapidem quem reprobaue Psal. 117. d

Isaie 28. d
Acto. 4. b
Roma. 9. g
1. Pet. 2. 8

110

COMMENTARIUM

runt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

Supererat unicus hic filius, quem tenere diligebat. Itaque ne quid intèratum relinqueret apud illos improbos agricolas admiranda lenitas domini, & hunc postremo misit ad colonos, sic cogitans apud sese: Tametsi contempserint seruum meum, tamen hunc filium meum saltem reuerebuntur. Sed uicit omnem domini bonitatem colonorum malitia. Vbi uident adesse filium, conspirant sceleratius consilio. Hic, inquiunt, est hæres, occidamus eum, & nostra erit hæreditas. Et iniectis in illum manibus eiecerunt e uinea, & eiectum occiderunt. Per orata parabola dominus rogabat sacerdotes & scribas: Quid igitur faciet dominus uineæ talibus colonis? Illi primum non animaduertentes quo tenderet similitudo, respondent, in suum ipsorum caput pronunciantes sententiam: Veniet ipse, & pœnas sumet de colonis, ac uineam locabit alijs melioris fidei. Id responsum cum approbasset Iesus, adiecit Psalmi testimonium ab ipsis qui legis scientiam profitebantur exquirens interpretationem: An ne hanc quidem scripturam, inquit, legistis? Lapidem quem reprobauerunt hi qui ædificabant, hic factus est caput anguli. A domino factum est hoc, & est admirabile in oculis nostris. Hic expergiscuntur & intelligunt nõ latere Iesum scelerata in oculis consilia, ac in uolucro parabola malitiam ipsorum insanabilem esse depicta. Com miserat illis deus populum suum, ueluti uineam unice colendam omnibus rebus quæ ad pietatis disciplinam attinent diligenter instructam. Ipse perinde quasi peregre agat, passus est illos quæ uellent agere. Sed illi sibi coluere uineam non domino, ad quem oportebat redire fructum. Cessantes per uarios prophetas admonuit officij sui, sed illi semper in deterius profecerunt, tandem & filium uineæ perpetuam proprietatem ac dominium ad se transiturum. Sed contra euenturum erat, ut iustissima dei toties sprete uindicta ac religiois dignitas ab eis tolleretur, & traderetur apostolis. Deinde Iesus quem illi ueluti reprobum lapidem reiciebant à structura synagogæ, deo uolente præter illorum expectationem, electus est ut esset caput anguli in structura ecclesiæ, ex Iudæis pariter & Gentibus ædificandæ, ut medijs & immobilis, utrunque populum uelut utrunque parietem contineret in una fide Euangelica, duos condens in semetipso ex utroque populo unam ciuitatem, & unum templum sibi ædificans.

Matth. 22. b
Luce 20. d

Et quærebant eum tenere, et timuerunt turbam, cognouerunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto illo, abierunt. Et mitunt ad eum quosdam ex pharisæis & Herodianis, ut eum caperent in uerbo.

Intelligunt parabolam, agnoscunt prophetiam, nec tamen resipiscunt, excæcati malitia, sed ob metum populi circumstantis, relicto Iesu abierunt, cum oculis & technis peracturi quod palam non poterant. Sceleratissimum autem homicidij genus est, quod sanctitatis ac iustitiæ fuco prætextitur. Ipsi uelut iam quæti subornant aliquot insigniter impios ex pharisæis & Herodianis, qui in ter se dissentiebant in dogmatis, sed consentiebant in odium Iesu. O stultam huius mundi sapientiam. Toties uicti subinde repetunt, ut liqueret ipsos omnibus modis esse uictos, & impares abire domini consilio. Iam enim tempus erat, ut istas machinas expediret. Adeunt itaque Iesum histriones subornati, qui captiois quæ

stione proposita uenarētur aliquid ex dictis Iesu, quo possent illum apud Cæsaris præfectum reum peragere.

Qui uenientes, dicunt ei: Magister, scimus quia uerax es, & non curas quenquã, nec enim uides in faciem hominum, sed in ueritate uiam dei doces. Licet dare tributum Cæsari, an non dabimus?

Exordiuntur à blandissimo proœmio, quasi falli posset blandimento, qui tories declararat sese nihil nescire. Magister, inquit, nouimus te ueridicum esse, neque te uereri quenquam, sed citra respectum personarum libere quod uerum est pronunciare. Nec enim te mouet dignitas aut sublimitas cuiusquam, quemadmodum faciunt multi qui potentibus assentantur, sed contemptis hominibus libere doces quod deus præcepit. Dic igitur & nobis: Licetne censum pendere Cæsari, an non licet? Pharisei defendebant populum deo dicatū non oportere tributarium esse prophanis Cæsaribus et simulachrorum cultoribus. Contra Herodianum ius Cæsaris tuebantur. Et huc tendebat insidiosa præfatum cula, ut pro phariseis pronuncians ab Herodianis deferretur, uelut author rebellionis aduersus Cæsarem.

Qui sciens uersutiam illorum, ait illis: Quid me tentatis? afferte mihi denarium ut uideam. At illi obtulerunt ei. Et ait illis: Cuius est imago hæc et inscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Respondens autem Iesus, dixit illis: Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt dei, deo. Et mirabantur super eo.

ROMA. 13. 6

Dominus Iesus nequaquam ignorās illorum uersutias, indignās quod non discendi sed tentandi causa uenissent, ait: Quid me tentatis? proferte mihi denarium ut uideam. Prolatus est ilico denarius. Libenter enim subseruiunt captio ni, qui captati uenerant. Tum Iesus inspecto denario dixit: Cuius est hæc imago & inscriptio? Respondent illi: Cæsaris. Quid est hoc? Iesus quem nihil fugit non nouerat imaginem aut titulum Cæsaris, pharisei & Herodiani nouerunt: Nouerat & antequam inspiceret, sed quærebatur occasio cōmode respondendi captiose quæstioni; parabatur exemplum, quàm non oporteat callere principum negotia, qui se Christi uicarios profitentes docere debent cœlestia. Nunc audi responsum Christo dignum. Reddite, inquit, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt dei, deo. Non improbauit si qui deo dicati sunt pendāt Cæsari, quamlibet impio, quod ob publicam functionem debetur, aut quod per uim exigit, quando iactura pecuniæ non facit nos impios, sed per occasionem admonet missa titulum & imaginem habebat Cæsaris, si hunc agnoscis, & pendis Cæsari quod debetur, quanto magis reddendum est deo, cuius imaginem gerit omnis homo: In baptismo dei character & similitudo impressa est animo tuo, ut innocentiã illi conformari studeas, & oblitteratam in te dei imaginem dei reformes gratia imprimenda. Cur ergo eam tradis diabolo? Christiani titulo gloriamur: cur non reddis illi quod debes ex professione? Huius responsi prudentiam omnes sunt admirati.

Et uenerunt ad eum Sadducei qui dicunt resurrectionem non esse, & interrogabant eum, dicentes: Magister, Moyses nobis scripsit, ut si cuius frater mortuus fuerit, & dimiserit uxore, & filios non reliquerit, accipiat frater eius uxorem ipsius, & resuscitet semen fratri suo.

Matth. 22. c

Euce 20. d

Deut. 25. b

Impositum est silentium duabus Iudeorum sectis unico dicto. His successit factio Sadducæorum quæ negat esse resurrectionem corporum, sed tantum hominem affirmat morte perire, uel saltem corpus anima immortalis: nec ullum spiritum esse credit, in hoc dissentiens à pharisæis. Habent & illi crassi captiosam quæstionem, qua tentent diuinam sapientiam. Iesus tum quidem gerebat peritiam sonam idiotæ, sed quod in illo erat infimum, sublimius erat eo quod in hominibus est summum. Sic autem adoriuntur: Magister, Moses in libro Deuteronomi mihi reliquit nobis hanc legem, Vt si quis uxore ducta decesserit absque liberis, frater defuncti ætate proximus ducat uiduam, & ex ea gignat prolem, quæ defuncti nomen gerat. Quod si is quoque decesserit orbus, frater qui natus proximus est succedat in fratris uices.

Septem ergo fratres erant, & primus accepit uxorem, & mortuus est non relicto semine. Et secundus accepit eam, & mortuus est, & nec iste reliquit semē. Et tertius similiter. Et acceperunt eam similiter septem, & non reliquerunt semen. Nouissima omnium defuncta est & mulier. In resurrectione ergo cum resurrexerint, cuius de his erit uxor: septem enim habuerunt eam uxorem.

Euenit ut è septem fratribus qui natus maximus erat duceret uxorem, is decessit absque liberis. Huic qui natus proximus erat iuxta legis præscriptum successit sit, & uxorem relicta duxit domum. Et hoc absque liberis defuncto successit tertius frater, & post hunc item cæteri usque ad septimum. Omnes, alius post alium duxerant eam uxorem, omnes sine liberis defuncti sunt. Tandem & mulier ipsa defuncta est. Itaque cum uenerit tempus resurrectionis, ac fratres septem reuenerint unam cum muliere, quis eam sibi uindicabit uxorem: nam septem ex æquo nupta fuit uiris fratribus quum uiueret. Ex huius casus absurditate Sadducæi putabant se ridiculam & absurdam facturos resurrectionem mortuorum, si ob uxorem omnibus communem lis inter fratres oriretur.

Et respondens Iesus, ait illis: Nonne ideo erratis, non scientes scripturas neque uirtutem dei? Cum enim à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli dei in cælis.

Dominus Iesus non est grauatus eorum crassitudinem docere, dicens: An non ista percontatio declarat uos tota errare uia, propterea quod non intelligitis scripturas neque uirtutem dei? Scriptura spiritualis est, & deus qui condidit hominem quum nihil esset, potest eundem cum uolet ex mortuo uiuum reddere. Non solum autem reuocabit ad uitam mortuos, uerum etiam donabit eos immortalitate. Porro coniugium ad hoc repertum est inter mortales & à domino institutum ab exordio, ut quod per se perpetuum non est, aliud ex alio propagando propagetur. Cæterum ubi nullæ sunt uices nascentium ac morientium, quid opus est matrimonio? Cum enim resurrexerint à mortuis, neque quisquam ducet uxorem, neque quisquam locabit filiam nuptam, sed quemadmodum angeli dei in cælis, quoniam inter eos nulla est mortalitas, neque quisquam monij: sic erunt qui reuiuiscunt in resurrectione, iam corpore spirituali & immortali similes angelis effecti.

C De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi, super per rubum quomodo illi dixerit deus, inquiens: Ego sum deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob? Non est deus mortuorum, sed uiuorum.

rum. Vos ergo multum erratis.

Porrò mortuos resurgere quomodo absurdum uobis uidet? Nonne legistis in sacris libris, quorum uobis est & esse debet sacrosancta authoritas, quibus uerbis usus est deus è rubo loquens ad Mosen, Ego sum deus Abraham, deus Isaac, & deus Iacob? Illi iam mortui dudum erant, & tamen se uocat illorum deū. Virunt igitur etiā mortui propter superstites & imortales ipsorū animas. Quæsi supsunt qd magni est eas in pristini corporis domiciliū reuocare? Quod si profus interierunt, absurde dicitur deus mortuorum. Quemadmodum nemo gloriatur se esse regem eorum qui non sunt: ita deus uiuentiū deus est non mortuorum. Vos igitur Sadducaei uehementer erratis, nihil aliud imaginātes futurum in illa uita quā in hac cernitis. Verius & felicius sunt ea quæ nō cernuntur, quā quæ uidentur oculis corporeis. Nihil enim deo uerius est, & tamen hic nō cernitur, sed sentitur. Quis aërem uidet? sine quo tamen nec uidet nec uiuit, & alia huiusmodi multa. Cum autem multa apertiora testimonia de resurrectione dominus Iesus posset proferre, hoc tamen protulit, quia Sadducaei nec angelos nec spiritum nec resurrectionem corporum confitebantur, & animarum quoq; interitum secundum quosdam mentiebātur: tantum quinq; libros Mosi recipiunt, prophetas respuunt, quorū authoritatem proferre contra Sadducaeos illis fuisse ridiculum.

Et accessit unus de scribis qui audierat illos conquirentes, & uidens quoniam bene illis responderit, interrogauit eum quod primum esset omnium mandatum. Iesus autem respondit ei quia primum omnium mandatū est, Audi Israel: Dominus deus tuus, deus unus est. Et diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota uirtute tua. Hoc est primum mandatum. Secundum autem simile est illi, Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Maius horum aliud mandatum non est.

Nondum tentandi finis. Sadducaei succedunt pharisæi & scribæ, his animos addiderat Sadduceis exprobrata legis incitiā. Nam scribæ & pharisæi legis cognitione præ cæteris se iactant, & a Sadducaeis dissentientes credunt esse angelos & spiritus, credunt animas hominum à morte corporum superstites esse, deniq; credunt fore resurrectionem. Hi gaudentes refutatos Sadducaeos, & Iesum ex ipsorum sententiā respondisse, uelut eruditi per scribam quendam ad id subornatum proponunt eximiam quæstionem, ex intimis legis arcanis. Interrogant eum quod esset præcipuum ac maximum in lege præceptum, quorum admodum multa adnumerentur. Iesus autem incontanter illis respondit ex libro Deuteronomij cap. 6. Audi Israel: Dominus deus tuus, deus unus est. Et diliges dominum deum tuum ex toto corde &c. His duobus mandatis enim quod ante omnia debemus in corde locare quasi unicum pietatis fundamentum, hoc est, nempe cognitio, fides, & confessio diuinæ unitatis, cum executione diuinæ operationis, quæ in dilectione dei & proximi perficitur, hæc est fides quæ per dilectionem operatur. Cætera patent ex dictis Matthæi 22.

Et ait illi scriba: Bene magister in ueritate dixisti, quia unus est deus, & non est alius præter eum. Et ut diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximum

Matth. 22. d

Luca. 10. e

Deut. 6. d

Leuit. 19. d

Matth. 22. d

Roma. 13. c

Gala. 5. c

Iacobi 2. b

tanquam seipsum: maius est omnibus holocaustibus et sacrificijs. Iesus autem uidens quod sapienter respondisset, dixit illi: Nō longe est à regno dei. Et nemo iam audebat eum interrogare.

Siquidem pietas Euangelica sita est non in uictimis pecudum, sed in puritate spiritus. Ab hoc intellectu non multum abest qui quod est spirituale & simplex præfert omnibus alijs præceptis, quæ figuram habent ueræ pietatis potius quam rem. Contra, Iudæorum uulgus summam pietatem collocabat in his quæ uidentur oculis, in lotionibus, in obseruatione sabbati, in delectu ciborum, in donarijs, in sacrificijs, in diebus festis, in ieiunijs, in prolixis precibus. Quisquis ex toto corde diligit deum propter ipsum qui nunquam potest satis diligi, quisquis proximum diligit in deo & propter deum, abunde sacrificauit. Quum ubiq; uicisset sapientia Iesu, destiterunt à tentando ne plus etiam dedecoris referrent te ste populo. Habebant Iesum pro idiota: ipsi magnificis titulis tragicorum cultu tantum non pro dijs se gerebant apud imperitam multitudinem. Verum Euangelica sapientia non est sita in multitudine literarū & in insigni eruditione scientiæ secularis & magniloquentiæ, sed in sinceritate spiritus. Quod Iesus erat inter scribas & pharisæos, sacerdotes ac primores populi, postea fuerunt apostoli rudes inter philosophos & principes. De hoc autem scriba Augustinus dicit: Nec moueat quenquam quod Matthæus dicit, tentantem fuisse à quo dominus interrogatus hic est. Fieri enim potuit ut quamuis tentans accesserit, dominus tamen responsione correctus sit. Aut certe ipsam tentationem non accipiamus malam, tanquam decipere uolentis inimicum, sed tanquam experiri uolentis amplius amicum. Scriptura autem dicit: In simplicitate cordis quaerite illum, quoniam inuenietur ab his qui non tentant eum. Utinam autem sic impleretur gemina hæc dilectio, quam dominus tantopere probat, saluti necel saria, & deo præ sacrificijs omnibus grata, quæ tota secundum spiritum intelligenda est, quæ tamen nunquam perfecte implebitur, donec Christus pure annuncietur, donec pater adoretur in spiritu & ueritate, & solum dei uerbum honoretur omnino. Cætera autem ueluti adiectitia & superflua reijciantur. Christus iste est omnia, uerbum dei omnia, cætera tanquam nihil & inane.

D Et respondens Iesus dicebat, docens in templo: Quomodo dicunt scribæ Christum esse filium Dauid? Ipse enim Dauid dicit in spiritu sancto: Dixit dominus domino meo, sede à dexteris meis, Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Ipse ergo Dauid dicit eum dominum: & unde est filius eius? Et multa turba eum libenter audiuit.

Quum enim omnibus collectis quæstionē proposuisset, cuius filius esset Messias quæ expectabāt, & ex prophetijs respondissent, Dauid, mouit serupulum omnibus insolubilem, Qui consistit, inquiēs, ut Messias sit filius Dauid, quomodo ipse Dauid afflatus spiritu sancto sic loquitur in Psalmo: Dixit dominus &c. Quum, inquit, maior sit authoritas progenitorum quam neporum, quomodo Dauid ex se nasciturum appellat dominum suum, ueluti si pater filium uocet dominum? Hoc mysterium nondum intelligebant scribæ & pharisæi, qui spiritum habebant carnis. Dauid autem afflatus spiritu coelesti, uidebat in Christo nondum nato quiddam maius homine, quum ipse nihil aliud esset quam homo. Obtinentibus scribis & pharisæis pleraq; multitudo faucebat se su, eumq; libenter audiebat differentem. Quam cum uideret sanabilem, faceret doctes

Matth. 22. d

Luce 20. 8

Psal. 109. 4

dotes autem & scribas & phariseos destinata malitia tendere quo coeperant, cepit eos palam apud populum traducere, non ut illis obrectaret, sed ne post hac populum fallerent, detraxit illis falsæ pietatis ac sanctimoniam personam; iam enim tempus ita postulabat. Itaque depromens suam illam doctrinam, hoc est liberam, nullique palpantem,

Et dicebat eis in doctrina sua: **Cauete à scribis, qui uolunt in stolis** Matth. 23. d
& primis discubitus in cœnis, qui deuorant domos uiduarum sub ob- Luce 11. f
tentu prolixæ orationis, hi accipient prolixius iudicium. 20. g

Cauete, inquit dominus Iesus, ne uos fallat magnifica species scribarum & phariseorum, non student uestræ salutis, sed suæ gloriæ: cupiunt enim ut magni uideantur, ambulare in uestibus ad talos usque demissis: uenanturque salutationes in foro: captantque primorum sedilium honorem in confessibus, & in conceteris religiosiores; his fucis suis captant uiduas beatas sed simplices, non uno nomine fraudi idoneas, uel quia sexus est infirmior, uel quia uiduæ sunt maritorum patrocinio destitutæ, uel quia diuites sunt. His sese ingerunt ueluti patrones ac tutores, fictaque religione totas illarum domos deuorant. Adeo nihil illis proderit ista simulata religionis species, ut grauius etiam sint à deo condemnandi, quod malitiam suam obnubilarint fucis sanctimoniam. Ab his itaque caute ne fallamini.

Et sedens Iesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba Luce 21. d
 iactaret æs in gazophylacium, & multi diuites iactabant multa. Cum
 uenisset autem una uidua pauper, misit duo minuta, quod est quadrans.
 Et conuocans discipulos suos, ait illis: Amen dico uobis, quoniam uide
 dua hæc pauper plus omnibus misit qui miserunt in gazophylacium.
 Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miserunt: hæc uero de penuria
 sua omnia quæ habuit misit, totum uictum suum.

His peractis conferebat sese dominus Iesus in eam templi partem in qua erat gazophylacium, in qua seruabantur donaria sacra, sedensque è regione gazophylacij, spectabat eos qui donaria conijciebant in gazophylacium, ac multi diuites conijciebant ingentia munera. Hos sacerdotes ueluti ceteris sanctiores haberi uolebant, pietatem illorum ex doni modo metientes. Interea accessit & mulier quædam uidua paupercula, ea misit duos minutulos nummos, qui conficiunt unum quadrantem. Nullus erat qui non diuites illos huic mulierculæ tenui præferret. Sed longe discrepat iudicium Iesu à iudicio scribarum & phariseorum. Id noluit latere discipulos suos. Pro comperto, inquit, dico uobis, quod hæc quamlibet tenuis plus dedit in gazophylacium quam ceteri omnes qui uidentur liberalissime dedisse. Nam ceteri dederunt ex eo quod ipsis abundabat. Multum dederunt, sed plus sibi seruarunt. Hæc autem ex inopia sua facultates suas uniuersas largita est, nihil sibi reseruans. Non enim deus aestimat eius sponsum & consolator esse dignatur. Synagoga ueluti fastuosa matrona iactat opulentiam iustitiæ suæ, ostentat diuitem mundum bonorum operum, gloriam de marito Mose, cui nunquam fuit morigeram, uendit se de prophetis filiis, quos omnes impio parricidio uel occidit uel certe afflixit. Semper habet in

ore templum domini, legem dei, patriarchas, Abraham, Isaac, Iacob, Israel, Scriptura incedit sacerdotibus, scribis, pharisæis. At ecclesia ueluti paupercula uisua nihil habet quod ostendet: agnoscit inopiam honorum operum, & tamen hoc ipsum quod habet totum deo dedicat. Iam quid tali uisua potest esse pauperius, quæ sibi nihil facit reliquum? Mosen non agnoscit maritum, quia circumcissionem nescit, quia uictimas pecudum abominatur, contenta seipsam totam immolasse. Sponsus autem dominus quoniam relictis terris rediit in cœlum, uidetur destituisse uiduam, quæ nunc à Iudæis ac Gentibus uelut omni præsidio destituta spoliatur, eicitur in exilium, protruditur in carcerem, affligitur et opprimitur. Audit quotidie, Vbi est sponsus tuus? Videtur peritura fame quæ tam pusillum habuerit, & hoc ipsum quod habebat abiecerit. Videtur prope diem intermoritura cum probro sterilitatis, quæ maritum perdiderit. Sed hanc quæ non parit, erumpe & clama quæ non parturit, quia plures filij desertæ eius quæ uirum habet. An non uidemus hoc uaticinium impleri? Esurit & emoritur synagoga, propagatur & dilatatur ecclesia, triumphans in apostolis, florans in martyribus, exultans in tot sanctis doctoribus. Nō habet quadrantem ex suis opibus, sed ex sponsi sui diuitijs habet aurum probatum & purum, habet gemmas inestimabiles. Per sinceram enim fiduciam erga diuinitem sponsum habet quicquid habet ille. Synagoga tamen si uideretur multum elargiri deo, tamen sibi plus satis reseruabat &c.

CAPVT XIII.

Matth. 24. 14

Luce 21. 6

Luce 19. 8

AT cum egrederetur de templo, ait illi unus ex discipulis suis: Magister, aspice quales lapides, & quales structurae. Et respondens Iesus, ait illi: Vides has omnes magnas edificationes? Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.

Nihil in templo placuit domino Iesu præter pauperculam uiduam, in quo nihil aliud erat quam adumbrata religio. Nos quoque qui Iesu discipulos proficimus exeamus à templo Iudaico, abiciamus fiduciam operum legis & carnalium, iustitiam autem quæ est per fidem Euangelicam amplectamur. Itaque discit illi hinc aliud templum uobis excitaturus, uere sanctum ac spirituale, structuram solidam ac firmam, aduersum quam nec inferorum portæ forent præualitura. Quum autem egressus esset quidam ex discipulis, ait illi: Præceptor, uide quam ingentes sint lapides huius templi, quamque firma structura, subsignificans opus firmiter esse quam ut ulla uetustate posset collabi. O Iudaicos oculos. Foris lapides admirantur hominum manu congestos, quasi tali structura delectentur Iesus. Iesus autem illi respondit: Vides hanc magnam & operosam structuram? Veniet tempus quo nec lapis lapidi hærens reliquus fiet qui non destruatur. Tantum abest ut hæc structura sit futura perennis. Iam desyderio templi spiritualis, nihil non fastidit & contemnit Iesus, quod oculis corporalibus cernitur.

Et cum sederet in monte Oliuarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus & Iacobus & Ioannes & Andreas. Dic nobis, quando ista fient? & quod signum erit quando hæc omnia incipient consummari?

Diuinitus procuratum est, ut patefacta per orbem fidei Euangelice gratia, ipsum

na, ipsum templū cum ceremonijs tolleretur, ne forte aliquis paruulus adhuc
 ac lactens in fide, si uideret manere illa à prophetis facta à domino instituta &
 iussa, admirando factum sæculare paulatim ad Iudaismum relaberetur. Aufer-
 tur ergo umbra & palmam tenet ueritas per orbem declamata. Cum ergo do-
 minus Iesus sederet in ea parte montis Oliuarum, in quo tum elegerat noctur-
 num diuersoriū, unde templum erat in prospectu, renouata est discipulis me-
 moria sermonis, quo prædixerat fore ut templum funditus dirueretur. Suspi-
 cabantur enim diruto templo iam uenturum regnum dei, de quo non desinūt
 somniare. Adeunt igitur Iesum ita sedentem secreto quatuor e discipulis, hoc
 agentes, ut quemadmodū transfigurationis arcanum paucis seorsum credide-
 rat, ita de tempore uenturi regni paucis cōmunicaret, quod alijs omnibus crea-
 diturus non esset. Dicunt itaq; Dic nobis quando fient ista, & quo signo pote-
 rimus deprehendere iam adesse tempus illud. Dominus autem qui suis exeme-
 rat sollicitudinem uictus, libidinem uindictæ, prouidentiam uitæ, uoluit & cura
 riositatem cognoscendi, quæ ad salutē non pertinent, eximere. Itaq; sermonem
 temperat, ut significet excidium urbis Hierosolymitanæ aliquando futurum,
 ac post abitum ipsius graues persecutionum procellas cooriturus aduersus
 Euangelij præcones, ac uenturū aliquando finem huius mundi. Sed quemad-
 modum omnibus expedit hoc scire, quod aliquādo finient hanc uitam, ut sem-
 per in eum diem sese præparēt; ita uolebat esse persuasum discipulis uenturum
 tempus, quo rediret iudex uiuorum & mortuorum. Cæterum quando id uen-
 turum esset, quoniam non expediebat, sciri nolebat.

Et respondens Iesus, coepit dicere illis: Videte ne quis uos seducat:
 multi enim uenient in nomine meo, dicentes: quia ego sum, & multos
 seducunt.

Cauete, inquit, ne quis uos seducat: sunt enim multi uenturi in hanc terram,
 & alias partes terræ, qui sibi nomen meum uindocabunt, qui sese à deo missos
 prædicabunt, ut Messiam in lege & prophetis promissum se esse multis Iudæis
 persuadeant, ad ingens illorum excidium. Mentientur se esse Christū, atq; hoc
 præstigio multis incautis imponent. Sequentur statim illos magni in hac ter-
 ra tumultus. Nec tantum in hac terra, sed & in alijs multis, magni tumultus or-
 bis arguent instare meum aduentum ac finem huius mundi.

Cum audieritis autem bella & opiniones bellorum, ne timueritis:
 oportet enim hæc fieri, sed nondum finis. Exurget enim gens contra B
 gentem, & regnum super regnum, & erunt terræmotus per loca, & fa-
 mes. Initium dolorum hæc.

Cæterum non oportet uos statim ad excitata bella aut ad fauos rumores
 excitandorum bellorum ita conturbari, quasi iam adsit tempus illud ulti-
 mum: sunt enim & hæc huiusmodi bella uentura, sed non continuo sequetur
 finis mundi, uel dies extremi iudicij mei et uniuersalis. Hæc em̄ præludia dum-
 taxat mundi aliquando finiendi, & aduenturi iudicij mei, interim quia
 dem particularis unicuiq; genti, imò & personæ, tandem tamen & uniuersa-
 lis & ultimi, admonitio & præparatio erunt, quemadmodum in senili corpo-
 re crebri morbi prædicunt breuī collapsurum. Temperatura qualitatum serua-
 trix est bonæ ualitudinis, cæterum ubi his inter sese pugnantibus concutitur
 corpus, argumentum est imminere mortis interitum. Coorietur autē gens ad-
 uersus gentē, posthac ut hæctenus, regnum aduersus regnum, & copijs ingens

tibus in mutuam ruent exitium. Quin & terra ipsa ueluti indignata tam impios homines sustinere & alere, motibus suis concutietur, & admonet etiam tantantes seueri & iusti diuini iudicij, quod impios maneat, ut emendati etiam zelum diuinæ iustitiæ certissime ingruētis. Itaq; passim erit fames, terra negante impijs colonis suam alimoniam. Quin & aër uelut indignans impijs hominibus regibus & principibus cum eorum populis, uita & habitu indignis, pestilens erit & letalis, ut de medio auferantur qui domino aduersantur uerbo & iustitiæ. Huiusmodi multa quum secundum tempus uideritis exoriri, dispensatione iusti diuini iudicij, ne protinus expectetis finem totius mudi, in quo sum ut iudex uniuersalis uenturus. Erunt enim hæc tantum exordia quædam & præmonitoria futuræ maioris calamitatis, nisi ad dominum emendati conuertantur. Ne uos quidem uestro tempore eritis ab his malis immunes. Quare caute uobis ne quid obruat inopinantes, ut in iustitiâ fidei solidi persistatis & firmi, semel coeptum Euangeliū nulla ratione deseratis, sed instanter urgeatis, quandoquidem multa quidem eidem obstitent, sed omnia perumpet cum tempore & triumphabit feliciter cum gloria dei unius mea & uestra.

Videte autem uosmetipsos. Tradent enim uos in concilijs, & in synagogis uapulabitis, & ante reges & præsides stabitis propter me in testimonium illis. Et in omnes gentes primū oportet prædicari Euangeliū.

Circumspicite diligenter, & mementote horum uerborum meorum, quum huiusmodi quæ prædico obuenerint. Pertrahent enim uos reos in concilia gentium, & in synagogas Iudæorum passim in orbe disperforum. Coram regibus & præsidibus sistemini, causam dicturi de capite, non ob aliquod maleficium, sed dumtaxat ob nominis mei professionem, ut patefiat illos merito reiectos à regno dei, qui præcones regni sic afflixerint. Verum hæc nihil perturbent animos uestros, nihil efficiet totus mundus & omnis potestas sæculi aduersus Euangeliū profectum, quocumq; futuro in tempore, omnisq; impiorum quorum cunq; sæuitia ueritati fidei resistens. Neq; quisquam quorumlibet tyrannorum uos extinguere poterit ante tempus, ac diem domini ac uestrum. Nec etiam ueniet finis mundi priusquam Euangelium illud meum prædicatum multo cum fructu fuerit per uniuersas orbis nationes. Nihil igitur opus ut ulla mundi huius præsidia paretis aduersus persecutorum uolentiam, aut solliciti sitis quomodo possitis ex illorum iudicij elabi, & innocentiam uestram ostendere, uel fidei iustitiam defensare.

Matth. 10, 6

Et cum duxerint uos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini; sed quod datum fuerit uobis in illa hora, id loquamini: non enim uos estis loquentes, sed spiritus sanctus.

Vocati in ius ante reges & magistratus ite, ne uideamini publicam auctoritatem aspernari; nam & hoc profuerit ad Euangeliū propagationem. Cæterum erituri, ne sitis solliciti, meditantés quid aut quomodo loquamini, rudes legum et forensium actionum imperiti, qui semper pacem omnibus uestris negotijs prætulistis in me, quemadmodum solet hominum uulgus, qui rhetores aduocatos ac patronos adhibent in causis agendis, sed quicquid tum uobis suggesserint, nimis id loquamini; non enim uos eritis authores sermonum, sed tantum organa. Spiritus autem sanctus loquetur per uos quæ conducent Euangelico negotio in gloriam dei, & salutem animarum uestrarum, etiam si suo tempore uita sit finienda corporalis, quod erit cum gloria sempiterna, propagato ex hoc tanto

tanto felicius Euangelio ad omnes fines mundi, quod multi denique uestrum pro-
prijs sunt oculis conspexerunt. Sicut enim ecclesiastica testantur historiae, multo
ante excidium Iudaeae, & apostolorum quorundam mortem, praedicatum fuit
Euangelium in omnibus partibus mundi.

Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & consur-
gent filij in parentes, & morte afficient eos. Et eritis odio omnibus, pro-
pter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic saluus erit.

Huiusmodi uero persecutiones non solum expectandae sunt ab alienis &
hostibus, uerumetiam ab amicis & cognatis. Frater enim fratrem pertrahet in
ius, & capitis accerset, contempto naturali affectu, & pater filium praeter natu-
rae pietatem; quin & filij uicissim erigent se aduersus parentes, & ad mortem ad-
gent. Et cum nemini noceatis uel obesse uelit, sed offeratis salu-
tis aeternae & uerae nuncium omnibus, tamen eritis omnibus inuisi, qui mun-
dum hunc diligunt ob inuidiam nominis mei, quod praedicabit. Ceterum in-
his malis & aduersitatibus opus erit perseveranti animo. Quisquis enim persti-
terit in bene ceptis usque ad finem, hic saluus erit. Nulla enim calamitas perde-
re ualet constanti pectore fidentem Euangelio, quod quidem ab impijs in mun-
do semper infestabitur, sed in sancto proposito defensantibus semper triumphat.
Vide de hoc reliqua & similia Matthaei 24.

Cum autem uideritis abominationem desolationis, stantem, ubi non Matth. 24. b
debet (qui legit, intelligat) tunc qui in Iudaea sunt, fugiant in montes, & Luce 21. d
super tetrum, non descendat in domum, nec introeat ut tollat quid de Dan. 9. g
domo sua: & qui in agro erit, non reuertatur retro tollere uestimen-
tum suum.

Quod si signum quaeritis imminentis extremae calamitatis, quae superueni-
tura est huic, quam nunc cernitis, urbi, templo, & genti, postquam non est am-
plius gens et potestas futura gens illa Iudaica, diligenter ad signum istud
abominationis, quod desolationis maximae causa erit, & signum prognosticum
certum, ubi steterit abominanda imago in templo dei, in loco quo non decet,
iuxta prophetiam Danielis prophetae cap. 9. cuius sensum qui tunc leget, intel-
liget, & experientia teste uerissima praedixisse uatem pronuntiabit. Imaginem
enim Caesaris Pilatus in templo posuit, uel Adriani fortassis statua equestris,
quae in ipso sanctosanctorum longo tempore stetit, signa proximo desolandi tem-
pli & populi. Tunc autem tempus aderit, ut obmissis omnibus sibi quisque fuga
conspiciat, ac salutem sibi non ex praesidijs, sed ex fugae celeritate petat. Appro-
pinquante enim Romano exercitu & Iudaeae exterminio, qui in prouincia Iu-
daeorum erant Christiani, admoniti diuino & prophetico oraculo ac apostolico
ut Ecclesiastica narrat historia) trans Iordanem secedentes, sub Agrippae regno
manebant ad tempus in Pella ciuitate. Qui cum ea quae sibi obtemperare uo-
luit parte Iudaeorum semper parebat imperio Romanorum. Tunc, inquit, qui in
Iudaea sunt solitudinis & fugae aptos. Quod si quem haec calamitas deprehen-
derit in tecto, ne descendat in domum, nec ingrediatur in conclaue aut cubicu-
lum, ut aliquid inde secum auferat, sed tantum ut repertus est etiam nudus &
pauper aufugiat. Et si quis id temporis fuerit nudus, in agro laborans, ne recur-
rat domum sublaturus pallium suum, sed recta profugiat quo potest. Tanta fu-
tura est celeritas inundantis calamitatis.

C Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Orate uero ut hyeme non fiant. Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ quæ condidit deus usque nunc, neque fient.

Væ igitur grauidis & lactantibus, quoniam illas natura non finit onus abijcere, has prohibet pietas. Et unica salutis uia erit sine mora fugisse. Proinde illud orate deum, ne calamitas hæc tanta incidat hyeme uel sabbato. Neque enim celeriter solum, uerum etiam procul aufugiendum erit. At hyems ob diem breuitatem ad longius fugiendum inutilis est. Et sabbato longius iter facere religio uetat. Sic autem dicta sunt ista, partim ad excidium urbis & gentis Iudaicæ, partim ad tempora persecutionum quæ lapidato Stephano potissimum ini-cruduerunt. Quando tantæ tribulationes obortæ sunt pijs, & Christo credentibus, ut in periculum salutis peruenerint etiam electi, ut erat sine dubio Saulus ipse, & quos ipse persequebatur acerbissime. Quarum persecutionum similes uix unquam ante factæ leguntur, ut sancti quique & electi sanctos tam crudeliter fuerint persecuti ob unius fidei sanctæ confessionem.

Et nisi breuiasset dominus dies, non fuisset salua omnis caro: sed propter electos quos elegit, breuiavit dies.

Quod si hæc afflictio, quemadmodum erit sæua sic etiam esset diuturna, non euaderet saluus quisquam mortalium. Sed dei clementia uoluit eam tempestatem esse breuem, propter eos quos delegit ad uitam æternam. Ex his enim neminem perire patietur, quæcumque insurrexerit malorum procella. Quare non est quod sibi quisquam timeat, modo perseueret in fide Euangelica, uelut ad firmam ancoram. Nulla uis prosternet mihi constanter fidentes. Tantum cauete ne pro me alium Christum amplectamini. Neque tamen hic non potest non subesse tropologia, quæ docet nos ab omnibus humanis impedimentis expedire, semper oportere expectare diem illum, qui nos deo sistet iudicandos. In eum non potest paratus esse, qui uel ob temporalium rerum amorem, uel ob affectus carnis, hoc est amorem parentum, uxoris aut liberorum, reuocatur in periculum salutis æternæ. Vase onustus est, qui diuitijs impeditus cessat agere quæ sunt salutis onere tardior est, qui propter affectus naturæ non recedit ab his quæ sunt modis omnibus fugienda, nec properat ad ea quæ nouit omnibus remouere abrupis expetenda. Hyems fugientes occupat, qui propter exiguitatem lucis quam præbet fides, & charitatem quæ refrigit in ipsis, non pertendunt gnauiter quo cœperant. Porro sabbati superstitiosa obseruatio illos pertrahit in periculum, qui cum præpostero iudicio illic trepidant timore, ubi non erat habendus timor, non metuunt illa, quæ cum primis oportebat formidare. Velut ubi quis ne uiolet hominis constitutionem, dei præceptum negligit. Nam Iudaeorum sabbatum ob salutem hominis recte contemni palam docuit ipse dominus.

Et tunc si quis uobis dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic, ne credideritis. Exurgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa & portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos. Vos ergo uideate, ecce prædixi uobis omnia.

Nulla uis prosternet mihi constanter fidentes. Tantum cauete, ne pro me alium Christum amplectamini. Plus erit periculi ab impostoribus quam à persecutoribus. Exorientur enim in illis diebus pseudochristi, qui sibi meum nomen, meamque personam, uel etiam uicariatam aut autoritatem cum sanctissimo

Matth. 24. b
Lucæ 21. b. c

nia falso uindicabunt. Exorientur & pseudoprophetae, doctores, & haeretici, qui fucata sanctimoniae specie se mentientur esse prophetas, magicisque prodigijs ac daemonum arte adumbratis miraculis imitabuntur prophetas & me, sic ut eiusmodi praestigijs falli possint, si qua uis ualeret aduersus deum, etiam electi. Itaque si quis uobis dixerit: Ecce hic est Christus, ne credideritis; aut si quis alio reuocatis dixerit: Ecce hic est, quaecumque locum uobis demonstraauerit, quamcumque speciem, ut eam Christum credere debeatis, aut etiam cultum illius impo- fuerit aliter quam ego docui, nolite credere. Christus enim ubi semel secundum corpus suum terras reliquerit, non poterit ostendi digitis, sed in animis latebit credentium illi toto corde: & ex his indicijs agnosceretur, si cuius uita referat Christi doctrinam.

Sed in illis diebus post tribulationem illam sol contenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum, et stellae caeli erunt decedentes, & uirtutes quae sunt in caelis, mouebuntur. Ezech. 32. 6
Isaie 13. 6
Ioel 3. 6

In fine mundi Christus non ueniet, quemadmodum nunc uenit, sed subito praeter omnium expectationem ostendet sese fulguris in morem esse sublimi, terribilis impijs, qui coniciuntur in ignem aeternum, amabilis pijs, qui uocabuntur ad caelestis regni consortium. Vos igitur si incideritis in haec tempora, & posteri uestri, caute ne pro me Christum aliquem e mentium amplectamini. Ecce praedixi uobis omnia, superest ut memineritis. Verum posteaquam extiterint illae calamitates bellorum, persecutionum, famis, pestilentiae, terrae motuum, succedent & alia portenta ex caelis profecta, uelut omnibus elementis inultionem impiorum excandescantibus. Nam sol luminis fons obtenebrescet, uelut exprobrans impijs suam caecitatem, qui solem suum aeternum uidere non luerint. Nec luna reddet splendorem a sole mutuum, quae noctis tenebras solet discutere. Ad haec uidebuntur & stellae, caelo decedentes in terram, quae tot saeculorum potentia miranda illa corpora seruarunt a deo praescriptos cursus, ac functiones suas ab orbe condito, concutientur. Tantus erit terror imminentis iudicij supremi. Alius exponit Sidera in iudicio dei obscuranda, non lucis suae uenerit in maiestate sua & patris & sanctorum angelorum. Quamuis nihil probeat uere intelligi tunc solem & lunam cum alijs sideribus ad tempus suo lumine priuari, sicut sol in passione domini, secundum illud Ioel: Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam ueniat dies domini magnus & manifestus, & quod de die iudicij Esaias dicit: Erubescet luna, & confundetur sol &c. Sed peracto die iudicij, & clarescente futurae gloriae uita, cum fuerit caelum nouum & terra noua, tunc fiet quod idem propheta dicit: Et erit lux lunae sicut solis, & lux solis erit septemplex, sicut lux septem dierum. Quid autem mirum tremere homines, cum aspectu iudicij tremant angelicae potestates? Vnde Iob: Columnae caeli contremiscunt, & pauent ad nutum eius, Et quid patitur uirgula deserti, ubi concutitur cedrus paradisi: Haec Beda.

Et tunc uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cum uirtutibus multis & gloria. Et tunc mittet angelos suos, & congregabit electos suos a quatuor uentis, a summo terrae usque ad summum caeli.

Subito his peractis uidebunt omnes qui uixerint filium hominis, nunc humilem & contemptum emicantem in altissimis nubibus, cum potestate multa,

& gloria patris, & innumeris angelorum copijs. Tūc emittet angelos suos, qui nullum electū patientur abesse, sed omnes undiq; colligent, seu uiuos seu mortuos, subito in uitam reuocandos. Omnia mystici corporis membra suo capiti aggregaturi, ut qui fuerant consortes afflictionum ob Euangelium, consortes sint æternæ felicitatis. Nec refert quo deuolauerint animæ piorum, quo prolepta fuerint corpora, reperiētur ab angelis, & colligentur à quatuor plagis mundi, rursus à summo polo cœli usq; ad imum. Suo quæq; anima corpori iungentur, & suo capiti sociabuntur omnes pariter electi.

A ficu autem discite parabolam. Cum iam ramus eius tener fuerit, & nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit æstas: sic & uos cum uideritis hæc fieri, scitote quod in proximo sit in ostijs.

Ne uos omnino imparatos inueniat hoc tempus, ex cōiecturis quibusdam diuinare licebit iam instare, non aliter quàm ex arbore ficu colligere licet uenturam æstatem. Quum enim rami huius arboris cœperint tenerescere, uelut parturientes grossos, iamq; frondes eruperint, cognoscitis æstatem nō procul abesse. Sed multo certius est uenturum illum diem quàm certum est æstatē huius mi succedere. Illud affirmo uobis, hæc ætas nō præterierit, quin hæc omnia sine euentura. Non putetis adesse finem mundi, sed quasi præcursores uenire qui ostendant prope esse iudicium mundi & iudicem.

D Amen dico uobis, quoniam non transibit generatio hæc, donec omnia ista fiant. Cœlum et terra transibunt, uerba autem mea non transibunt.

Nihil est in rebus corporalibus cœlo firmitus, nihil immobilius terra. Verum cœlum & terra citius immutatura sunt naturam suam quàm uerba mea sint futura inania. Et Ecclesiastes: Generatio præterit & generatio aduenit, terra uero in æternum stat. Sic ergo cœlum & terra transeunt secundum imaginem, manent in æternum secundum essentiam. Prius transibūt immobilia hæc elementa quàm mei sermones, qui minime intercident. Omnia enim quęcumq; dixi perficientur.

De die autem illo uel hora nemo scit nec angeli in cœlo, neq; filius, nisi pater.

Ne sit uobis curæ ut certo sciatis diem illum supremum, quando nec angelis datum est hoc scire, nec ipsi filio, quanquam in eo sint omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Ideo autem absconditi, quia nobis scire nō expedit. Vnde ait: Non est uestrum nosce tempora uel momenta, quæ pater potest sua potestate. Apostolis enim non profuisset, ut semper incerti de aduentu iudicis, sic quotidie uiuant, quasi alia die iudicandi.

Videte, uigilate, & orate, nescitis enim quando tempus sit. Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam, & dedit seruis suis potestatem cuiusq; operis, & ianitori præcepit ut uigilet.

Certissimum habete uenturum, ne quærite quando, ne obrepat securitas. Semper caute, semper uigilate, semper orate, nescientes quando futurum est ut dies illa terribilis ingruat. Cauebitis si nullis huius mundi præsidijs, si nulli humanæ creaturæ fidebitis, sed toti ex me meisq; præceptis pendebitis. Vigilabitis, si per abstinentiam luxus & omnium corporis uoluptatum toto pectore studebitis sanctimoniam spiritus. Orabitis, si flagrantibus animis inhiabitis ad ea quæ promissa

promissa sunt in euangelica professione perseverantibus. Habet satanas artes suas, quibus imponat etiam oculatis, aduersus has adhibenda est serpentis prudentia. Habet mundus & caro suas illecebras, quibus sic delinit animum incogitantium, ut illis ueluti somnus obrepat securitas, & obliuio rerū æternarum. Ex quibus nascitur regni cœlestis uel cōtemptus uel desperatio. Non destituet suos electos deus, sed amat uigiles & attentos; sic tamen ut cum omnia præstiterint quæ possunt humano studio præstari, orent tamen, intelligentes & inuigilate, quasi uos deus ad tempus destituerit. Sic orate, quasi sine isto frustra sit futurum quicquid conemini. Hanc doctrinam quo dominus Iesus altius infigeret animis discipulorum, adiecit & similitudinem ad rem appositam. Vbi reliquero uos, perinde gerite uos ut faceret serui fideles ac prudentes, quibus dominus peregre profecturus commisit authoritatem administrandæ rei familiaris, & suū cuiq; distribuit opus ac functionem. Porro aduersus nocturnum furem ianitori mandauit ut uigilaret. Hi quoniam incerti sunt, quando sit rediturus dominus, dant operam ut semper in officio sint, ut quocūq; tempore contingat redire dominum, offendant ipsos uigilantes. Certius autem est uobis merediturum esse, quam illis rediturum dominum. Potest enim aliquid incidere ut peregre moriatur. Sed certo certius est me rediturū, tamen si uobis incerto die, uigilate ergo, nescitis enim quando dominus domus ueniat: sero, an media nocte, an gallicantu, an mane, ne cum uenerit repēte, inueniat uos dormientes. Quod autem uobis dico, omnibus dico, Vigilate.

Facite uos quod serui faciūt frugi. Vigilate semp, expectantes reditū meū. Nescitis enim quando dominus uenturus sit: sero, an nocte intempesta, an gallicantu, an diluculo, ne si uenerit repente sicuti ueniet, offendant uos dormientes, & in officio cessantes. Quod autem uobis dico, per uos omnibus dico, quicūq; nascitur sunt usq; ad finem mundi, Vigilate. Nulli non uigilandum, qui uelit esse saluus. Cuiq; suum opus præstandum, quod commissum est à domino, sed præcipue ianitori uigilandum, qui toti uigilat familiæ. Etiam si si quando dormitet populus, non uacat dormire pastorē. Porro tota hæc uita, quæ non habet certum discrimen bonorum ac malorum, & in qua plurimum est ignorantia, lucis quàm minimum, nox est, si conferatur ad uitam futuram. Quancūq; autem in fine mundi dominus semel ueniet omnibus, tamen singulo cuiq; uenit, quum adest mortis tempus. In hunc igitur, quoniam æque incertus, priuatim cuiq; uigilandum. Quibusdam enim uenit sero, uelut in adolescentia: quibusdam intempesta nocte, uelut in florentissima ætate: quibusdam in gallicantu, puta in senectute. Nec uiribus nec ætati fidendū: omnibus ex æquo incertus est mortis dies.

CAPVT XIII.

Rat autem pascha & azyma post biduum, & quærebant summi sacerdotes & scribæ quomodo eum dolo tenerent & occiderent. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. Matth. 26. 4
Luce 22. 4

Iam propius aderat ille sacratissimus paschæ dies, hoc est phase, quod Hebræis transitum sonat, quo nos sacrosanctus cruor agni immaculati liberatus erat ab ultione gladij extinctoris, ac eduxit ex Aegypto per mare rubrum,

perq̄ desertum huius mundi perducturus in cœlestem Hierosolymam, in terra lacte & melle manantem. Nam Iudæorum phasē quod illi summa religio ne quotannis celebrabant, nihil aliud erat quàm huius uictimæ umbra & præfiguratio, & sacramentum prognosticum passionis Christi prædictæ in lege & prophetis. Quemadmodum & illud, quod his diebus Iudæi temperabant a panibus fermentatis, nos ad Euangelicæ puritatis synceritatem adhortantes. Is dies post biduum erat futurus, quem illi parasceuen appellant. At primores sacerdotum & scribæ quàm religiose sese parabant ad celebrandum phasē corporale, tam irreligiose festinabant imprudentes immolare uerum illum agnum, quem solennis illa uictima tot sæculis designarat. Iam enim certum consilium conceperant occidendi Iesum, sed quoniam id palàm non audebant ob populum metum, uisum est ut per dolum illi manus iniicerent & occiderent. Huic consilio maxime conueniebat ille dies, quo res noui Testamenti ueteris Testamenti figuræ responderet. Non delegerant illi diem hunc, sed æterno patris consilio fuerat huic uictimæ destinatus. Siquidem illi conferentes inter sese consilia de occidendo Iesu, dicebant: Non in die festo, ne tumultus exoriat in populo, Iudaica nimirum religio est homines uereri, quum deum non uereantur.

Matth. 26. 4
Ioh. 12. 4

Et cum esset Bethanię in domo Simonis Leprosi, et recumberet, uenit mulier habens alabastrum unguenti nardi pisticæ pretiosi, & fracto alabaastro effudit super caput eius.

Dominus Iesus sciens adesse tempus, quo patri uisum erat peragi sacrificiæ illud æternum, non recedit ab Hierosolyma, ne loco deesset præfinito. Quum igitur Bethaniæ cum amiculis suis conuiuium ageret in ædibus Simonis, cui cognomen erat Leproso, unus e conuiuiis erat Lazarus. Agnoscis in eadē domo concors & amicum sodalitiū ecclesiæ, quam Christus immundā suo purgavit sanguine, quam mortuam ob peccata sua morte uiuificauit. Cum talibus Iesus amat accumbere, potius quàm cum sacerdotibus ac pharisæis, qui sibi ueri ac uiui uidebantur, quum id essent animo quod Simon ille fuerat, quod fuerat Lazarus. Inter conuiuium autem ingressa est mulier quædam, habens alabastrum plenum unguenti exquisiti pretiosi, & ex nardo pistica, fractoq̄ alabaastro effudit in caput accumbentis domini. Tali unguento iuxta spiritum amat perfundi Iesus, qui mundi delitijs nunquam est delectatus. Huius in sponsum suum dilectum prodiga est ecclesia. Quicquid habet pretiosi, non seruat sibi, sed effundit in caput Iesu, cui debetur omnis gloria. Latissime per orbem patet domus ecclesiæ, uerum huius unguenti fragrantia repleuit uniuersam domum. Hoc odore trahuntur multi, ut ambiant in eam domum admitti, ubi cum amicis suis accumbit Iesus. At non desunt qui inuideant & obstrepāt Iesu delitijs, nimirum Iudæi, qui magis quærunt quæ sunt ipsorum quàm quæ Iesu delitijs. De alabaastro & nardo, uide annotationes quoq̄ Erasmi in hunc locum, si putas necessarium.

Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, & dicentes: Ut quid perditio ista unguenti facta est? Poterat enim unguentū istud uenundari plus quàm trecentis denarijs, & dari pauperibus. Et fremebant in eam.

Quidam ex discipulis adhuc carnem sapientibus, sed præcipue Iudas Iscariotes obstrepit, indignās apud sese & obmurmurās: Quorsum atrinebat huius unguenti

unguenti tam exquisiti iacturam fieri? Poterat enim uendi trecentis denarijs, eoq̄ pretio multis pauperibus subueniri. Adeoq̄ cruciabat illos huius unguenti dispendium, ut infremerēt aduersus mulierē pie prodigam. Bene perit, quod impenditur gloriæ Christi: imò nihil minus perit. Synagoga Christo parca est, sibi prodiga. Contra, ecclesia non æstimat, habet enim à Christo, sed hoc totum quod habet comminuto uasculo temere effundit in caput sponsi sui. Sic auaritia sibi pharisæorum semper patrocinari nouit, ut pietas iudicetur, prætextando intentionem sanctam ut abscondat iniquitatem.

Iesus autem dixit: Sinite eam, quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me: semper enim pauperes habetis uobiscum, & cum uolueritis potestis illis benefacere, me autem non semper habebitis.

Placebat uidua pauper cula, quæ quadrantem coniecit in gazophylacium: placet & hæc quæ pretiosi unguenti iacturam fecit. Illa agnoscens tenuitatem suam hoc ipsum quod habebat impendit Iesu, sed uasculi quoq̄ iacturam fecit. Illa impedit uictum: hæc etiam corpus & animam, si perire posset quod impenditur Iesu. Vbi nunc sunt qui murmurant aduersus profusionem gratam auctori gratiæ? Dat ipse de suo largiter, ut odor benignitatis ipsius latius spargatur. Nihil postulat præmiij, hic tantum ambiciosus est, uult agnosci suam beneficentiam, non quod egeat hac laude, sed per hanc placuit illi largiri nobis suas diuitias. Sed aduersus obmurmurantes discipulos mulieris piam sedulitatem turet dominus, cui uni probari satis est. Cur, inquit, negotium facescitis huic mulieri? Sinite illi obsequi animo suo, bonū opus operata est in me. Nam quod auaritiam pauperum subleuandorum titulo prætextitis, pauperi impendit quod mihi impenditur. Vulgares autem istos pauperes semper habebitis uobiscum, quibus licebit benefacere quoties uolueritis, me uero non semper habebitis, ut officijs huiusmodi corporalibus possitis demereri.

Quod habuit, hæc fecit, præuenit ungere corpus meum in sepultura. Amen dico uobis, ubicunq̄ prædicatum fuerit Euangelium istud **B** in uniuerso mundo, & quod fecit hæc narrabitur in memoriam eius.

Semel hoc honoris impensum est mihi: & quod factum est, non factum est ut exemplum trahatur ad multos iuxta carnem reficiendos, sed ut ab omnibus iuxta spiritum exhibeatur. Hæc quid faciat nescit, tamen pia sedulitate quod potest facit. Instat mors, cupiet tunc ungere corpus meum sepeliendū. Id quod poterit, anteuertit, & uiuo impendit honorem, quē mortuo non poterit. Cæterum huius mulieris pietas, cui uos obstrepitis, adeo non carebit laude sua, ut quum mors mea per Euangelium celebrata fuerit per omnes orbis regiones, simul & huius mulieris memoria celebranda sit, quæ mortē meam antequam morerer tali munere honorauit. His dictis dominus discipulorū suorum murmur compescuit.

Et Iudas Iscariotes unus de duodecim abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis. Qui audientes gauisi sunt, & promiserunt ei pecuniam se duros. Et quærebat quomodo illum oportune traderet.

Iudas Iscariotes unus è numero duodecim, qui communem pecuniam mansa fide dispensabat, non tulit huius unguenti iacturam, sed abiit ad summos sacerdotes ut proderet illis dominum & magistrum suum. Non enim fugiebat illum illos hoc agitare, ut Iesum arte caperet. Hoc audito gauisi sunt illi. Placuit

author sceleris, domesticus Iesu. Conuentum est de pretio, & inuenitur mutua fides in tam impio consilio, quæ rara est in pactis honestis. Credidit Iudas simplici promisso sacerdotum, absq; tabulis ac testibus, absq; sponse & uade. Cogitat apud sese quo pacto possit Iesum prodere sacerdotibus et scribis, ex ipsorū animi sententia, hoc est, loco ac tempore commodo, ne quid oriretur tumultus: nam hæc in pacto intercesserat conditio. Hic possent multa perpendi, Iudæ conuersum in proditorem, discipulum tradidisse magistrū, è paruo numero discipulorum non inuentos probos omnes, summi sacerdotes Christi proditores factos, & impios innocentissimi sanguinis effusores more suorum patrum. Causæ de proditoris malitia, ut sese uindicerent; pecuniã nõ de suo sed sacram promittunt, ut damnetur ueritas, iustitia, sanctitas: factiones instituunt sibi oportu- nas, ut Christum dominum occidant, populum decipiant, & inuoluant æternæ damnationi, cuius instituti fuerant animarum curatores.

Matth. 26, b
Lucæ 22, 9

Et primo die azymorum quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quò uis eamus & paremus tibi comedere pascha?

Prima dies azymorum approximat, quæ erat quartadecima luna, in cuius secundis uesperis uolebat Christus dominus suū legale celebrare pascha: quandoquidem in parascæue præcedente diem magnū paschæ Iudaicæ, in sabbatho celebrandum non erat Christo oportunitas edendi azyma cum agno paschali, iam tunc enim erat sepeliendus, cuius uespera quæ erat reuera quintadecima luna, iuxta traditionem Rabbiorum, pascha erat celebrandum ad sabbathum magnum, quod erat sextadecima luna. Pascha autem immolare, erat agnū paschalem occidere, assare, comedere, & in memoraculū exitus de Aegypto celebrare, id Christus cum discipulis suis impleuit iuxta legem Mosaicā quinta feria uesperis, quæ erat eo anno ut dictū est, quintadecima luna. Phase autē, quod interpretatum ualeat transiitionem, nõ potest immolari, sed agnus eam transiitionem significans, & Christum immolandum pro mundi peccatis representans. Hoc immolant pascha, hoc est, memoriã celebrant immolationis primæ factæ in Aegypto, cū digna ac solenni gratulatione, cum multa gratiarū actione, quæ & ipsa Eucharistiã significat. Discipuli præmonent magistrum, ut lo- cum indicet celebrando paschati, intra urbē Hierosolymam, dispensatione diuina, & Christi prædicatione & præcepto admoniti. Sciebant enim quod de templo pergamus præparaturi pascha, iuxta institutum uoluntatis tuæ: quo in loco uerandum mandas: quandoquidem generale pascha præuenire complacuit, iuxta legis traditionem primariã ac uetustam, quæ & religiosioribus inter Iudeos non contemnenda uidebatur, & scrupulosius seruabatur, ne quid contra legem fieret propter traditionem maiorum.

Et mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis: Ite in ciuitatem, & occurret uobis homo lagenam aquæ baiulans: sequimini eum, & quocumq; introierit, dicite domino domus, quia magister dicit: Vbi est refectionis mea, ubi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse uobis demonstrabit coenaculum grande stratum, & illic parate nobis.

Petrum & Ioannem mittit, ut Lucas dicit, ad hominem ignotum discipulis, Christo uero notissimum, prædicens illis quid sit euenturum illis. Futura & alibi facienda se scire ostendens, quo & indicabat se homine maiorem, qui et fugere posset in tempore passionem, & homicidas si uellet, qui & traditorem ex per-
sona

sona nosceret, & malitię eius modum et processum. Deniq; qui mentē hominis ignoti absens conciliare sibi poterat, ut se exciperet cum discipulis, pascha celebraturos, quid non facere potuisset in reliquis? Præterea dat illis signum, quod domum inueniant, nempe ut sequantur hominem figulinum, uas aquę gestantem. Ipsum ut sequantur duo discipuli iubentur: erat enim minister alicuius uiri honoratioris, qui ampla domo excipere non sine fidei dono accepto uellet, & gratificari cum gaudio magistro tanto, qui talia docuisset & perfecisset magna. Eum lagenę baiulum sequi iubentur, & non eidem, sed domino illius domus præcipiuntur loqui, ut magistro per antonomasiam dicto, & admodum insigni, coram deo & populo glorioso Christo cum discipulis faueat, ut apud se pascha celebret. Vbi, inquit, est refectio mea, hoc est ubi locus mihi assignabitur reficiendi me lassum cum discipulis, & præparandi cœnam paschalem, iuxta morem legis & temporis? Is autem dominus domus illius nihil moratus, quia Christo deuotus, & non ignotus, forsitan Nicodemus uel Ioseph aliquis ab Arimathia nobilis decurio, uel similis aliquis, ostendet uobis in sua illa domo cœnaculum ingens stratum, iamq; futuro conuiuio cōmode præparatum, illic instruite nobis hac nocte, ut celebremus pariter paschalem cœnam. Hic uide apostolorum obedientiam, qualē simpliciter creduli exhibent, & simul antequam amandarentur ad pullum asinę adducendum. Et ut nihil lateat dominum, ut palām sit illum præsciū ac uolentem omnia passum, quæ nostra causa passus est: auctoritatem quoq; uide, quum ad domini nomen statim dimittitur asinus, ad domini uocem ostenditur statim cœnaculum, ut perspicuū sit, illi in manu fuisse facere quicquid uellet. Nutu poterat coercere sacerdotes & pharisęos, crudelia molientes: sicut & uerbo uno prostrauit satellites Iudeorum in horto.

Et abierunt discipuli eius, & uenerunt in ciuitatem, & inuenerunt sic ut dixerat illis, & parauerunt pascha.

Abeunt discipuli, ueniunt in urbem, offendunt hydrię baiulum, sequuntur, ingrediuntur domum, exponunt mandata domino ædium. Ille nihil moratus, ostendit cœnaculum. Illic discipuli adornāt pascha, hoc est ultimam ac mysticam cœnam, simul repræsentaturam & legis uetustę figuram, præteritam liberationem ex Aegypto significantem, & futuram in Christo redemptionem, Euangelicam quoq; uictimam signantē arcanis signis, hoc est sacramentis dominicę passionis & mortis exhibituram. Phase, inquit, parauerunt, hoc est ægnum assatum significantem exilitionem illam, qua angelus in Aegypto præterijt domos Israelitarum, cum primogenita percuteret Aegyptiorum. Huiusmodi enim loquendi modus in ea præcipue solennitate in more erat, iuxta scripturarum quę tunc legebantur stilum & idioma, nemini ignotum. Cœnaculum illud putatur idem fuisse, in quo & pascha celebrauit, sacramentum cœnę dominicę instituit, discipulorum pedes lauit, post resurrectionem illic congregatis apparuit, in quo & spiritum sanctum receperunt in die quinquagesimo, ut habetur Acto. 2.

Vespere autem facto, uenit cum duodecim. Et discumbentibus eis & manducantibus, ait Iesus: Amen dico uobis quia unus ex uobis tradet me qui manducat mecum.

Ad uesperum igitur quintę ferię, quę uespera post occasum solis initium erat sextę ferię, quę & parasceue erat, & quintadecima luna, iuxta legem Mo-

Matth. 26. 6

Lucę 22. 6

Ioan. 13. 6

sis. Incipit enim dies Hebræorum more à uespera, & finit in alteram. Tunc inquit, sequutus est dominus Iesus cum duodecim discipulis suis, quos solos ut selectos uoluit sacrosancti mysterij & conuiuij salutaris testes esse. Vbi uero iam accubuissent omnes & cibum caperent, hoc est iuxta legis præscriptum & consuetudinem annuam ac paschalem, agnum ederent, nimirum stantes & accincti iuxta legem, quod hic dicitur accumbere, hoc est edere, simpliciter omnia intelligendo quæ Euangelistæ spiritu simplici & sancto scripserunt. Verisimile est enim, Christum tunc perfecisse primum quæ legis erant, agnum comedisse cum lactucis agrestibus, & uerba quoque in lege scripta retulisse Exodi explicando significantiam eius mysterij, quando sacramentum erat institutum à domino, simul complectens uerba & res, signa & significata, memoraculum & res memorandas fidei & deuotioni exhibens uere fidelium. Deinde recubuisse ad cœnam dominicam & ad doctrinam, iam antea fortassis ablutis pedibus discipulorum omnium, antequam pascha celebrare inchoassent pro more & iuxta legem. Sic enim dominus Iesus suum pascha & eodem tempore uel crepusculo celebrauit quod erat sequenti uespera in sepulchro peracturus, dum ludæorum erant inchoanda polluta mysteria, & iuxta Rabbiorum frivolas traditiones. De quibus lege Paulum Burgeñ, in Matthæum. Vbi itaque iam pascha comedissent, ait Iesus: Amen dico uobis, quod unus est uobis qui comedit meum, me proditurus est.

C At illi coeperunt contristari, & dicere ei singulatim: Nunquid ego? Qui ait illis: Unus ex duodecim, qui intingit manum mecum in catino: & filius quidem hominis uadit sicut scriptum est de eo, uæ autem homini illi per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non esset homo ille.

Psal. 40. 6

Ad hanc uocem mœror ingens corripuit undecim discipulos. Nullus enim præter unum Iudam sibi male conscius erat. Sed tamen non audent fidere imbecillitati humanæ. Itaque singuli cupientes domini iudicio à sollicitudine liberari, dicunt domino: Num ego sum is? Nec Iudam sibi male consciū puduit cum cæteris dicere: Præceptor, Num ego sum is? Iesus autem, ut suis absolutum lenitatis exemplum proferret, maluit suos ad tempus affici mœrore quam prodere proditorem, nihil non faciens ut ab impio consilio resipisceret. Ait itaque: Unus erit ex duodecim qui mihi sic est familiaris, ut in eundem discum intingat manum, & huius dignationis tale mihi præmium referet. Sentiebat Iudas se non latere domini conscientiam, & perspiciebat inauditam mansuetudinem. Iesus à quo mox perfidissime prodendus erat in mortem, eum non uult prodere cæteris discipulis, fortassis in eum amore domini sauituris. Et o deploranda malitiam. Quod saxum, quem adamantem non emolliret tanta mansuetudine hominis, qui nutu potuit lædere? Sed hæc magis etiam illum animat ad maleficium. Tum ita pergit dominus: Cæterum quod ad me pertinet, nihil præter animi sententiam accidet, sed quemadmodum à prophetis prædictum est de filio hominis, ita futurum est. Expediit plurimis, ut tradatur in mortem proditorum, sed tamen uæ illi per cuius malitiam filius hominis tradendus est. Procurat enim rem alijs saluti futuram, sed in suam ipsius perniciem. Præstitit illi homini natum non fuisse. Nec tanta domini mansuetudine, nec pecunia, & ceteri supplicij correctus est animus Iudæ. Tanta pestis est amor pecunie, & dedit

dedit eis, & ait illis: Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agēs dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur.

Finitis in ea ultima cœna ueteris paschæ ceremonijs & ritu iuxta legem ordinato, Christus dominus cum discipulis suis, quod pascha sacramentum quodam erat olim perceptæ liberationis beneficij, & memoriale primî illius agni immolati, cuius sanguine fidelium postes consignatæ erant, & à percutiēte angelo præteritæ iam nunc Christus dominus transit ad noui sacramenti institutionem commendandæ ecclesiæ, quod in redemptionis mundi memoriã iam nunc perficiendâ à Christo in cruce, ecclesiam frequentare uoluit, & cum discipulis nunc primum celebrandum docuit. Vt scilicet pro carne agni legalis corporis, ac posito in postes fidelium, sui nunc sacratissimi corporis & sanguinis sacramenta sacræ signacula substituit, uerum symbolum ueri agni tollentis peccati mundi, & oblato in ara crucis pro totius mundi salute, cuius inestimabilis beneficij & gratiæ perpetuum & sacrosanctum memoriale esse uoluit, & instituit huiusmodi mysticam cœnam domini, in qua fidelibus mystice exhibuit & sacramentorum signis uerum corpus suum, uere pro peccatis mundi offerendum, crucifigendum, & frangendum uulneribus, & exhauriendum sanguine pretioso, uereq; moriturum. Vt sicut præteritæ redemptionis sacramentum fuerat phasæ Mosaicæ, sic perficiendæ nunc redemptionis mundi memoriale et sacramentum esset posthac corporis & sanguinis Christi, in duplicibus rebus significans unicum sacramentum. Cum itaq; manducassent cum Christo discipuli phasæ ueteris sacramentū, & confedissent pariter, quod erat cœnæ residuum expleturi, & audituri sermonem Christi, accepit dominus Iesus paschæ in paschate quod tunc agebat Christus. Licet uulgus Iudæorum, ut eadem hora non edebant pascha, sed sequenti die ad uesperam, sic nec eadem hora azymis uestebantur. Panem, inquit, accepit Iesus in benedictas ac uenerabilissimum ad confirmandum cor hominis, ad uitam corpori ministrandam sacramentum corporis Christi figurā, quod ex multis granis efficitur, ut significet societatem sanctorum, pacem & unitatē membrorum Christi. Eum panem acceptum benedixit, non pingendo gestibus manuum signum crucis, sed laudes & gratias deo dixit, & dicere docuit; hoc quoq; benedicere non est translementare, transsubstantiare, annihilare, conuertere in carnem realiter. Id enim Christus non dixit, non docuit, nec id intellexerunt discumbentes apertius laicus erat, & communi usui seruiens, ex hac Christi benedictione & institutione sacra, sacramentalis factus sit, & ad usum sacrosanctum assumptus, & ad sacratissimi mysterij significationem datus, ut sit uere sacer panis, quia sacratissimi corporis Christi sacramentum, spiritualis exhibitio, & significatio efficitur singulis; non dicitur in quot particulas, si duodecim uel tredecim, iuxta numerum accumbentium; simpliciter omnia Christus egit, & Euangelistę conscripserunt, non probātes anxias subtilitates Scholasticorum nostri temporis.

Fregit non nisi panem, significans tamen craftino perendam passionem corporis Christi, quod licet in frustra iuxta ossa confractum non fuerit, uere tamen ob mortis corruptionem & diuisionem animæ & corporis fractum dici potest, & panis hac fractione significatum. Postquam ergo panem fregit in partes posuit in catinū, eas proposuit omnibus, & præcepit amicissimo symbolo quemlibet sumere buccellam suam, dicens: Hoc quod nunc & sic ago aspicientibus uobis, tota, inquā, hæc mea actio, & ipse insuper sic fractus in partes panis sanctificatus & sacer, Corpus meū est, quod pro uobis traditur. Ego ipse sum, qui me crucifixum & fractum, cibum constituo animarum uestrarum, ut sicut pane corporeo ad uitam naturalem utimini, sine quo uiuere commode non poteritis: sic nec sine corporis mei sacrificio peragendo, uitam habere poteritis spirituales, remissionem scilicet peccatorum, & redemptionem ab æterna morte, ac uiuificantem gratiam intra animam uestrā, ad omne opus perfectum & sanctum, ad fidei, spei, ac charitatis augmentum atque profectum, & reformandi uestri corporis tandem immortalitatem, & insertionem in mysticum corpus, eiusque membra sitis, & per gratiam hanc constituiimini. Vt sicut hæc uenus paschalis agnus sacramentum fuit Christi domini, olim occidendi & redempturi mundum: sic posthac huiusmodi panis in Christi memoriam sumendi omnium electorum. Cuius tanti beneficii cum deuotissima gratiarum actionis memoria gratulatoria peragenda sit, quoties hoc modo cœnam dominicam celebraturus eritis in ecclesia. Quanquam autem perfectum fuerit sacramentum is panis, sic frustulatim diuisus ac distributus, & à singulis sumptus, crucifixi & occisi immaculati agni, qui tollit peccata mundi: quia tamen ad uitæ sustentationem corporalis non sufficit panis & cibus, sed & potus exigitur ad sanguinis augmentum & conseruationem, ideo liquorem optimum qui tunc habebatur ad manum, uinum nempe, addidit bibituris, ut calice accepto cum uino, non hic dicitur aqua mixto, quanquam id forsitan de more fuit uel non fuit. Calicem huiusmodi uel poculum accepit dominus in uenerabiles manus suas, iterum patri gratias agens, benedixit ut panem, deditque discipulis iuxta ordinem seruentis significantiam charitatis, qua conspirabant in Christum dominum seruenter amandum, & ad se inuicem. Hoc tamen uinum responderet à Christo institutum est, ut sacramentum sit sanguinis Christi, qui effundendus pro peccatis omnium electorum. Vt esset nouum quoddam testamentum inter deum & homines, à deo patre in filio constitutum in expiationem proximo pro peccatis futurorum bonorum, accedente in sancta sanctorum per propriū sanguinem, ad semel æterna redemptione reperta. Nam sicut in ueteri Testamento sanguinem taurotorum & hircorum, & cinis uituli aspersus inquinatos sanctificabat ad carnalis purificationem: sic nunc in sanguine noui Testamenti Christus se obtulit immaculatum deo patri, purgans conscientias electorum à mortuarijs operibus, ad uiuaciter & alacriter seruiendum deo uiuenti. Et ob id noui Testamenti conciliator est Christus, ut morte intercedente ad redemptionem præuaricationum ueterum, qui uocati sunt promissionē accipiant æternæ hereditatis. Hoc ergo autem quod hic additur, Qui sanguis Christi pro multis effundetur. His ergo uerbis & huiusmodi sacramentis ac symbolis commendauit dominus Iesus suis discipulis ac omnibus electis symbolum mortis suæ, perpetuūque fœderis, cum

his qui in fide Evangelica perseverarent. Hæc simplicia Evangelistæ scripta & Christi domini uerba qui legunt, & nullam alienam imbibunt opinionem, intelligunt discipulos iam bibere uel bibisse antequam Christus finiisset hæc de calice uerba. Statimq; agnoscunt præter passionis sacræ sacrosanctam significantiã, religiosamq; memoriã his ingestam, uino ipso & pani nihil extraneum accessisse, nihilq; absurdum suspicantur: dum interim Scholastici uidentur hic figura Prothusteron, & multo sudore laborant, ut suas statuunt sententias neotericas. Spiritus enim, quo afflati Evangelistæ scripserunt, præuidens multam nostram ignauiam & superstitionem curiosam, qua prolatitijs uerbis addicti sumus, eo nos malo liberat, ueluti clamãs: Cum uideas Christiane, Evangelistas citra anxiam sollicitudinem, & tempus & ordinem & uerba absq; nimia religione scripsisse, tu quoq; ne supra modum sapueris, ne dum in his in quibus non oportebat pietatis pondus constituis, charitatẽ & rem sacrosam, & gratiarum actio pro passione & morte domini, qua redemptos nos certato credimus, & suspicimus plena fide, quibus sacra symbola panis & uinum sua seruiunt materia, totius huius rei prora sunt & puppis. Hic nullus conscientie scrupulus, nulla miraculosæ rei difficultas, nullus simpliciorum catholicorum dogmatum nodus. Quid igitur simplici Lectori trica ponuntur, è quibus hic modus talis sit, & tam difficile intelligibilis, ut in tota scriptura alibi nullus uspiam? Cur non potius accommodamus nos scripturæ generalissimis utilissimisq; loquutionibus? Cum ubiq; legamus similia, quare non similiter in talium interrogauit de sensu: de modo instituendi ecclesias? de rei impossibilitate? Quomodo tacuissent, si intellexissent uerba Christi de corpore Christi illo quod gerebat, quomodocũq; substantialiter, corporaliter, & cum maximo omnium miraculo edendum, quum illud sic edentes aspicerent, & audirent, & ipso uerum & naturale corpus corporeum etiam si glorificatum, nunc contineri uel esse cum singulis particulis panis, totum, substantialiter, corporaliter, & realiter, quanquam non naturaliter, non circumscriptiue, non localiter, sed miraculose & supra naturã? Cum facilius sese cum sanctis expedire possent, si uno uerbo dicerent, panẽ ibi esse uere corpus Christi, & uinum sanguinem sacramentaliter, ut sancti, testamentaliter autem uel memoraliter ut stilus Evangelicæ scripturæ loquitur. Sed hæc propediem clarius intelligetur, cum æmulationes cessauerint, & scripturæ loquutiones usu maiore liquidiores reddentur. Interea charitas partium non rumpatur, & nihil contra conscientiam fiat, uel pro certo doceatur superuacaneũ & incertũ, quod etiã qui docet intelligere nequeat, multo minus probare ualeat ex scripturis, & fidelium cõscientijs persuadere.

Amen dico uobis quod iam non bibam de genimine uitis, usq; in diem illum cum illud bibam nouum in regno dei.

Non bibam ex huiusmodi uino posthac usq; ad resurrectionem, quam uocatur regnum dei, quod tunc gloriosissime cœpit inclarescere: quando quidẽ rex ipse Christus aduersus mortem certando peruasit ad regnum, quod datum illi à patre recepit in cœlum & terram. Sanẽ post resurrectionem bibit & comedit cum discipulis, quoniam ipse ille est qui patiebatur. Nouum autem illud bibit, hoc est nouo quodam modo & insolito. Non enim ultra corpus habebat passi-

bile, quod cibo indigeret, sed immortale & incorruptibile: naturale tamen & simile eis corporibus, in quibus cum Christo sancti olim regnabunt, non immentum, & omnibus locis præsens, quod proprium est diuinitati & creatori. Corpus autem Christi deitati quidem unitum est, sed non est deus nec immentum quamlibet glorificatum & beatificatum, sed salua naturarum proprietate in unius personæ unitatem magnificam assumptum.

Matth. 26. c

Luce 22. d

Ioan. 18. d

Ioan. 18. g

Zach. 13. e

Et hymno dicto, exierunt in montem Oliuarum. Et ait eis Iesus: Omnes scandalizabimini in me in nocte ista: quia scriptum est: Percutiam pastorem, & dispergentur oves. Sed postquam surrexero, præcedam uos in Galilæam.

Cœna peracta atq; hymno in laudem dei dicto ex more, eadem nocte relictis Hierosolymis abierunt in montem Oliuarum. Semper agendæ gratiæ, semper laudes deo canendæ sunt, ante & post cibum, & cætera quotidiana beneficiæ. Deniq; deo reddendæ gratiæ siue contingunt prospera, siue premant aduersa. Ibi Iesus non ignorans imbecillitatem discipulorum suorum, parat illos ad tolerantiam imminentis tempestatis. Omnes, inquit, hac nocte mea causa turbabimini. Prædixit & hoc Zacharias propheta 13. cap. Percutiam, inquit, pastorem, & dispergentur oves. Vide in proprio loco huius sententiæ intellectionem. Verum ne despondeatis animum, Quemadmodum mors mea uos turbatos dissipabit, ita resurrectio mea uos refocillatos colliget in unum. Reuiscam enim, ut dixi, tertio die, ac rediuuius præcedam uos in Galilæa. Ibi me conspecto mororem animi deponetis. Resurrectio promittitur, ut spes non extinguatur.

Petrus autem ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint, sed non ego. Et ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in hac nocte priusquam bis gallus uocem dederit, ter me es negaturus. At ille amplius loquebatur: Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant.

Petrus nondum sibi notus, fortiter quidem sed temere respondit. Et si ceteri omnes offensi fuerint tua morte, certe ego non perturbabor. Iesus autem pernitens cupiens euellere ex animis nostris nostri fiduciam, ait illi: Petre, negas futurum quod & prophetia futurum prædixit & ego, cui iam oportebat credere non reclamare. Temerarie pollicitator, imò hoc insignius cæteris perturbabere, quo tibi cæteris uideris fortior. Siquidem illud pro certo confirmo tibi, Priusquam gallus hac ipsa nocte bis cecinerit, ter me negaturus es. Hac oratione uero de se polliceretur, dicens: Imò si me necesse fuerit etiam commori tibi, tamen haud unquam te abnegabo. Hanc Petri uocem sequuti sunt & ceteri discipuli, ut pariter errantes pariter emendarentur, & agnoscerent quam ex suis uiribus nihil essent, quamq; non posset esse uanum quicquid ex ore Christi prodisset. Consenserant in professione pridem, & in Petro collaudata est omnium opinio & fides: hic consentiunt in temeraria fiducia sui, & in uno Petro redarguta est omnium temeritas. Solus Petrus abiurauit Iesum, cæteris omnibus forsitan idem facturis si data fuisset occasio: abiurassent enim nisi fugissent. Petri fortitudo cæteris constantior adduxit ipsum in periculum. Nihil autem horum in discipulis accidebat destinata malitia, quemadmodum in Iuda, sed humane naturæ imbecillitate, & ideo Iudæ peruicaci malitia Iesus abusus est ad salutem suam.

Arum & ad apostolorum imbecillitatem. Ideo uoluit multis modis euentem fieri, ut per illos doceret omnes, ne quis sibi quicquã de suis ipsius uiribus polliceretur, sed ingruente malorũ procella, totus penderet à præsidio cœlesti, quod tanto præsentius adest, quo magis homo de suis uiribus fuerit diffusus. Apostoli nondum uerbis coargui poterant, sed futurum erat ut ex re tandem agnoscerent seipsum.

Et ueniunt in prædium cui nomen Gethsemani. Et ait discipulis suis: Sedete hic donec orem. Et assumit Petrum & Iacobum & Ioannem secum, & cepit pauere & tædere.

Ventum est in prædium cui nomen Gethsemani, hoc est uallis pinguium, ubi tauri pingues dominum obsederunt, & uituli multi circumdederunt. Eam uallis est ad radicem montis Oliueti. Nemo potest ascendere in crucem Iesu nisi prius descenderit in uallem hanc, nisi sese deiecerit abdicatis omnibus humanae superbiæ præsidijs. Hic iubet subsistere reliquos octo, ipse adiunctis sibi tribus Petro, Iacobo, & Ioanne, non magno interuallo subducit sese, ut uacaret precibus. Agnosce machinas Euangelicas aduersus uiolentiam persequutus: Erant in Iesu duo inter se diuersissima: diuina maiestas, qua nihil sublimius: & humana imbecillitas, qua nihil abiectius. Quoniam autem his tribus discipulis gustum aliquem præbuerat suæ sublimitatis, uoluit eosdem extremæ abiectionis & humilitatis esse testes, ut in eodem discerent & quid esset imitandum, & quid sperandum. Nusquam hic facies solis in morem fulgurans, nusquam uox, uerum ut homo prorsus omni destitutus auxilio cœpit pauere, conturbari, & anxietate mentis desolatæ exanimari. Nimirum homo uerus erat, et insigniter in se expressit, quod imminente tali tempestate solet his accidere, qui nihil aliud sunt quam homines.

Et ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, & uigilate. Et cum processisset paululum, procidit super terram, & orabat ut si fieri posset transiret ab eo hora, & dixit: Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me: sed non quod ego uolo, sed quod tu.

Non dissimulauit anxietatē animi apud amicos, tamen nihil opitulaturos, & querit de calamitate. Hic igitur iubet & hos tres subsistere ac uigilare. Quo facto, paululum progressus ac ueluti prorsus ab omni solatio hominum destitutus, planeque deploratus, quod attinebat ad humanas opes, confugit ad patris auxilium, nec apud hunc statim inuenturus malī leuamen. Itaque procumbens humi, demissa in terram facie rogabat patrem, ut si qua fieri posset, præteriret huius certaminis tempus. Natura corporis horrebat cruciatus, ac mortem imminentem. Abba pater, inquit, tu nihil non potes, transfer hoc poculum à me ne bibā, ueruntamen id fiat quod tua statuit uoluntas, quæ nihil uult nisi quod est optimum, non quod uult huius temporis carnis meæ imbecillitas.

Et uenit, & inuenit eos dormientes. Et ait Petro: Simon, dormis? non potuisti una hora uigilare? Vigilate, & orate ut non intretis in temptationem: spiritus quidem promptus est, caro uero infirma.

Hæc precatus rediit ad relictos tres apostolos, & reperit illos iam dormientes. Ac Petrum modo tam fortia pollicitum appellat, Simon, inquit, dormis?

non poteras uel unam horam uigilare mecum; Hoc tempus non admittit ofscitantiam. Neque enim dormit, qui nobis molitur perniciem. Vigilate & orate, ne ueniatis in tentationem; que si uos opprefferit imparatos, periculum est ne uia camini. Commune periculum est, ego uobis uigilo, uobis oro, uigilate & uos mecum, & orate mecum, ut mecum uincatis; spiritus quidem promptus est, sed caro infirma. Ne uincat caro, spiritus est uigilia & precatione confirmandus. Temerarios reprimat, qui quicquid crediderint putant se posse consequi; sed quantum ex mentis ardore confidimus, tantum ex fragilitate carnis timeamus. Spiritu tamen facta carnis mortificemus.

Et iterum abiens orauit, eundem sermonem dicens. Et reuersus, de nouo inuenit eos dormientes, erant enim oculi eorum grauati, & ignorabant quid responderent ei.

Humanitatis conditio & carnis fragilitas cogebat subinde mutare locum, & spiritus pietas ingerebat sollicitudinem pastori de grege pusillo, ut terit ad discipulos saepe & redierit. Interim non mutans sententiam, sed continuo eadem orando replicans, ut fieret patris uoluntas, si a se tanta passionis acerbitas auferri non posset. Breuius & frequenter, sed ex magno affectu, hoc est de uoce orandum est dominus. Quoties uisitat discipulos, toties offendit dormientes angore & tristitia, quam illis Christus uerbis suis incusserat. Sic non ferre potest humana conditio futurorum omnium praescientiam. Dormiunt autem, sed non peccant, quando aliud, ut nunc constituti, non possunt. Erant ad profundam noctem oculi discipulorum grauati, etiam absque multis & obscuris tenebris. Eterat enim plenae lunae lucentia in noctibus paschalibus. Increpiti autem dulciter a magistro, quid excusationis praetenderent non inueniebant, nihil poterant respondere.

E Et uenit tertio, & ait illis: Dormite iam, & requiescite. Sufficit uenisse hora, ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, camus: ecce qui me tradet, prope est.

Rediit ad suos tertio Iesus a precatione sua, ac tertio reperit eos dormientes. Perierant illi nobiscum, nisi pro nobis omnibus uigilasset dominus, ac precatus fuisset. Expergefatos igitur obiurgat illos, ut per eos omnium nostrum extimulet ofscitantiam. Dormite posthac, & requiescite. Satis dormitatum est, ipsa res uos uolentes nolentes suscitabit. Adest articulus tempestatis: ecce filius hominis mox prodetur, tradendus in manus scelerosorum. Surgite, camus illis obuiam. Iam enim dominus Iesus ex precatione animi robur collegit ad uersus instantem procellam afflictionum. Nec post ullum signum dedit paucis aut tardis, sed exemplum constantissime tolerantiae nobis praebuit usque ad mortem. Perseuerantiam hisce nos docet dominus, ut quam sapius oremus, & per seueranter cernentes tamen domini uoluntatem sponte obsequamur, & alios quoque patientiam doceamus. Quiescere cupiamus, si placeat domino: sin minus, ad medias calamitates expositi, nosmetipsos domino committamus. Nihil in nos hostes uirium habent, nec quicquam tentabant domino non iubente, cuius iussui deuotius obsequentes, omnia nobis fata salutaria reddimus.

Et adhuc eo loquente, uenit Iudas Iscariotes unus de duodecim, & cum eo turba multa cum gladijs & lignis, missi a summis sacerdotibus & scribis & senioribus.

Nondum dominus hunc sermonem finierat, dum adest Iudas Iscariotes, unus

mus è numero duodecim selectorum, & inter hos habitus præcipuus, adducens secum numerosam cohortem, eamq; gladijs & fustibus armatam aduersus inermem Iesum. Nec deerat autoritas. Miserant hanc manum summi sacerdotes scribæ & populi primores. Hic mihi uide Lector, egregiũ conflictum Euangelicæ pietatis aduersus falsam religionem. Sic quotidie impugnatur, sic semper uincit Euangelica ueritas. Nullus ad eam prodendam magis idoneus, quam qui sub professione ueritatis Euangelicæ docet ea quæ sunt carnis. Longe plus periculi est à falsa doctrina, quam à gladijs & fustibus palàm sceleratam armatam manum cum autoritate utriusq; ordinis, prophani & sacri. Atq; hæc aguntur noctu, captata loci quoq; oportunitate. Hæc erat potestas tenebrarum, ubi uincitur & capitur ueritas. Et ad tempus permittitur satanæ, ut Christum uideatur deuicisse. Quid autem cæcius quam illi humanis consilijs moliri insidias, quem nihil fugit: quam illum aggredi gladijs et fustibus, qui nuntiu potest quicquid uult: nempe prosterne hostes unico uerbo, si uelit.

Dederat autem traditor eius signum eis, dicēs: Quemcunq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite caute. Et cum uenisset, statim accedens ad eum, ait: Rabbi: & osculatus est eum. At illi manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum.

Iudas non palàm ostendit se ducem sceleratæ manus, sed prius dedit symbolum, dicens: Quemcunq; osculatus fuero, ille est Iesus, iniicite illi manus, & abducite caute ne elabatur. Cauent hoc sacerdotes, ne numeraretur pecuniâ, nisi Iesus esset in manibus. Deinde cœpit ex interuallo præcedere turbam, quasi aliud agens, sic tamē ut illis esset in conspectu. Mox ut adijt Iesum, salutauit illum, dato ex more osculo. Nec hic Iesus remisit lenitatem suam erga proditorum, tantum illius tangit conscientiam, dicēs: Amice, tale aliquid tentare non deberes: ad quid huc miser uenisti? Sciebat non futurum ut respiceret, & tamen nihil non facit quo corrigetur, nos erudiens, ut erga peccantes summa lenitate utamur, propterea quod ignoramus an aliquando sint ad meliorem mentem redituri: si respiscunt lucrifecimus proximorum salutem, si nō respiscunt, non carebit uestra mansuetudo suo præmio. Osculū charitatis mutua signum est. Caritas autem declarat nos esse discipulos Iesu. Nihil igitur hostilius osculati, qui sub prætextu pietatis Euangelicæ uentri suo seruiunt, gloriam uenantur humanam, & pro libertate spiritus docent Iudaismum. Ad osculi uenenati sanguinem & ad mortis obedientiam sese patri tradentem, & ingratissimis Iudæis, qui uolunt lupi crudeles agnum mansuetissimum rapientes ligarunt dure, quo minus euaderet. Ligatus est autem propter peccata nostra, ut criminum uinculis extimeret genus humanum, ac solueret compeditos de umbra mortis, & de damnatione perpetua, ut & patientiam nos doceret, scientes innoxium pro nobis reis ligatum.

Vnus autem quidam de circumstantibus, educens gladium percussit seruum summi sacerdotis, & amputauit illi auriculam.

Ad hunc tumultum excandescit discipulorum animus. Iamq; Petrus oblitus eorum quæ prædixerat dominus, iudicauit adesse tempus quo præstaret aliquid dignum fortibus promissis, is educto gladio percussit seruum summi pontificis.

tificis, nomine Malchum, quod is cæteris ferocior primus festinaret manus in-
ijcere in Iesum; ac domino dextre ictum moderante, tantum amputavit auri-
culam illius dextram, cum ut uideretur caput secare uoluisset, & infigere exi-
tiale uulnus. Sed obiurgato discipulo dominus clementissimus ilico sarfit uul-
neris minime periculosi dispendium, & auriculam restituit. Ad eò nulli non be-
neficus fuit Iesus, ut nos puderet quenquam ulcisci uelle, ne dicam sermo-
nem lædere. Porro Iesus ut non uult alijs præsidijs defendi, quàm gladio sermo-
nis Euangelici, qui penetrat ad intima cordium: ita uoluit armatam manum
scire se nulla uel capi posse, nisi uolens ac prudens se præberet capiendum.

Et respondens Iesus, ait illis: Tanquam ad latronem existis cum gla-
dijs & lignis comprehendere me? Quotidie eram apud uos in templo
docens, & non me tenuistis. Sed ut impleantur scripturæ.

Dominus Iesus uersus ad Iudæos ipsum capientes, dixit: Quid accidit, ut
intempesta nocte cum gladijs & fustibus exiretis huc ad me, tanquam ad laro-
nem sese similibus armis defensurum. Quotidie eram Hierosolymis, non clam-
sed clara luce, & in loco omnium celeberrimo, uidelicet templo, sanans aggra-
tos, & docens ueritatem. Semper inermis fui, cum inermi raroq; discipularum
comitatu. Cur ibi me non comprehendistis? certe minore negotio tum potera-
tis, si decretum hoc erat. Sed istud est tempus uestrum, ut diuino permittu
ceat quod lubet. Et ita futurum iam olim prædixerunt scripturæ, quæ meniri
non possunt. Hæc ubi dixisset, adoriuntur agminatim, ac manus iniiciunt in Ie-
sum. Scripturæ autem prædixerant, non aliter occidendum quàm quia uoluit.
Tunc erat patiendi tempus Christo, quando ipse uoluit & permisit patri obea-
diens. Tunc enim seipsum obtulit, ut implerentur scripturæ Isaie 53. Sicut ovis
ad occisionem ductus est, non contendens neq; clamans, sed sua sponte sequens.

Tunc discipuli eius relinquentes eum, omnes fugerunt. Adolescens
autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & teneba-
runt eum. At ille relicta sindone, nudus profugit ab eis.

Hæc ubi Christus dixisset, & captus iam esset, mox discipuli sibi quocunq;
mentes, quotquot erant deserto domino alius aliò diffugere. Infirmis licet fuge-
re, qui nondum idonei sunt perferendis supplicijs. Quoties incidit tempus,
quo fugisse negasse est: ibi non oportet fugere, sed ultro ad mortem occurrere.
Vbi plus est dispendij quàm compendij Euangelio ex morte tua, fugito, latita:
ubi fructus est copiosus si moriaris, dispendium ingens si te subducas, occurre
carnifici. Erat autem inter duodecim adolescens quidam, qui ceteris uehemen-
tius diligens Iesum, sequebatur illum, quum iam uinctus duceretur. Is unica
dumtaxat sindone nudum corporis tectum habebat. Hunc agnitū apprehen-
derant, at ille reiecta sindone elapsus est e manibus eorum, uestis iactura uitam
redimens. Qui iuxta spiritum sic fugit, feliciter fugit. Quid enim est aliud hoc
corpus quàm animi uestimentum? Quoties satanas manum iniicit animæ, ne
glige sindonem et effuge. Quis uero fuerit is adolescens disputatur sine fructu.
Sunt qui credant & persuadeant non fuisse discipulum Christi ex duodecim
quempiam, sed ex uilla Gethsemani uillanum quendam uel alium.

F Et adduxerunt Iesum ad summum sacerdotem, & conuenerunt om-
nes sacerdotes & scribæ & seniores. Petrus autem à longe sequutus est
eum usq; intro in atrium summi sacerdotis, et sedebat cum ministris ad
ignem, & calefaciebat se.

Matth. 26. f

Luce 22. f

Ioan. 18. e

Nome

Nunc contemplator quibus modis tractetur Evangelica ueritas, posteaq̄ prodita est ab impio discipulo. Per uiolentam militum manum uincta ducitur ad utriusq̄ ordinis primores, in illius exitium coniuratos. Primum adducitur ad summum sacerdotem. Nullus hostis capitalior Iesu quam impius pontifex. Iam ut res maiore cum authoritate geri uideretur, conuenerunt eodem omnes sacerdotes cum scribis & senioribus. Hæc est authoritas huius mundi, coniurata aduersus humilem, sed nihilo secius inuincibilem ueritatem. Nondum Petrus abiecerat animum, sed eminus sequutus est Iesum; iam dissimulatus discipulus, nisi ut enormius peccet. Itaq̄ perrumpit in atrium summi sacerdotis, atq̄ ibi sedebat admixtus scelerato gregi famulorum, & calefaciebat se ad prunas, spectator futurus dominicæ tolerantie potius quam imitator. Verum quod Petrus timet naturæ est, quod sequitur deuotionis est, quod negat obreptionis, quod poenitet fidei.

Summi uero sacerdotes & omne concilium quærebant aduersus Iesum testimonium, ut eum morti traderent, nec inueniebant. Multi enim testimonium falsum dicebant aduersus eum, & conuenientia testimonia non erant. Et quidam surgentes falsum testimonium ferebant aduersus eum, dicentes: Quoniam nos audiuimus eum dicentem: Ego dissoluam templum hoc manufactum, & post triduum aliud non manufactum ædificabo. Et non erat conueniens testimonium illorum.

Interim qui inter sacerdotes primum dignitatis locum tenebant, quorum ut quisq̄ primus erat authoritate, ita cæteros superabat impietate, cumq̄ his reliquum concilium, ne uiderentur homicidæ potius quam læsæ pietatis ultores, uenantur aliquod testimonium aduersus Iesum, ut eum ad mortem adigerent. Nihil aliud sitiebant quam mortem illius, qui omnibus gratis uitam offerbat æternam. Nec inuentum est ullum testimonium satis idoneum. Solus euerat Iesus in quem nullum testimonium idoneum inuenire possit humana uersutia. Iam enim multi prodierant qui testimoniū dederant aduersus Iesum, uerum adeo friuola, ut nec iniquissimis illis uiderentur sufficere ad condemnandum eum, quem iam apud se damnauerant priusquam in iudicium adductus esset. Tandem exorti sunt qui graue testimonium ferrēt aduersus Iesum, dicentes: Nos adferimus comperta: his enim auribus audiuimus eū dicentem, Ego dissoluam templum hoc manufactum, ac post triduum aliud non manufactum extruam. Hanc uolebant uideri blasphemiam in templum domini. Nec horum testimonium, quanquam adderet aliquid ueris ad exaggerandam criminis atrocitatem, uisum est satis idoneum. Diceres hic esse iudiciorum religio nem, ac faueri reo, uerū hæc sacerdotum diligentia nō aliò tendit, quam ne qua possit elabi Christus. Nihil agitur; ad perdendum Iesum Christum summo pontifice est opus. Non deerāt quanquam paucissimi, qui nō consentirent iniquis illis inquisitionibus falsorum testimoniorum, qui occulti erāt Christi discipuli.

Et exurgens summus sacerdos in medium, interrogauit Iesum, dicens: Non respondes quicquam ad ea quæ tibi obijciuntur ab his? Ille autem tacebat, & nihil respondit.

Summus is pōtifex uidens rem parum succedere, surgens in medio consilij cœpit appellare Iesum, ex ipsius ore uenans unde possit conuinci. Audis, in-

quit, quæ tibi obijciuntur crimina? Nihil habes quod ad ista respondeas? Iesus autem obticuit, neque quicquam respondit. Quid enim attinebat ad ea respondere, quæ ipsi iudicauerant friuola? Ad responsum autem prouocat, ut ex qualibet occasione sermonis locum accusandi inueniat. Iesus autem non respondit, præuidens quicquid responderet in calumniam uerti, nec attenturos his quæ ab ipso dicerentur, id quod Lucas dicit: Si dixerero uobis non credetis: sin interroga uero uos, non respondebitis nec dimittetis.

Rursum summus sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Christus filius dei benedicti? Iesus autem dixit illi: Ego sum, & uidebitis filium hominis sedentem à dextris uirtutis, & uenientem cum nubibus cæli.

Pergit uenari summus pontifex, & interrogat eum, dicens: Es ne tu ille Christus filius dei semper laudandi? Ex quibus uerbis quamlibet maledico ore prolatis, significatur quam magnificam etiam eo tempore sacerdotes & scribæ habuerint de uenturo Messia existimationem, quem tunc in horas expectabant, uenerunt impletas Danielis hebdomadas, ut eum crediderint futurum, uenturum spiritu diuino, & filium dei specialem, dei, inquit, benedicti, ut iuxta uetustissimorum Rabinorum uerba & scripta habitus fuerit & creditus sanctior, iustior, honoratior, & perfectior, non solum Mose et Abrahamo, sed etiam angelis. Verum contra ueritatis assertorem Christum tanto odio feruebant scribæ & sacerdotes, ut Christum Iesum pro exiguitate status & personæ non potuerint credere, nec uoluerint, esse celeberrimum in lege promissum Messiam & in prophetis. Hic tamen pro calumnia uenanda nominant Christum filium dei benedicti, quod dominus Iesus nec potuit negare nec uoluit, maxime quia per nomen domini adiuratus ut proloquatur quod uerum sciret. Falsus est ergo Iesus esse quod erat, quod nec debebat negare: expediebat enim omnes scire. Sciens autem illos non credituros, aut certe contempuros ob corporis imbecillitatem humani, adiecit quod illis terrorem inieceret. Videbitis, inquit, filium hominis sedentem à dextris diuinæ maiestatis, magnæque cum gloria, sed etiam aduentu, quo rediturus est iam non humilis, sed in maiestate diuina, iudex uiuorum & mortuorum. Sacerdotes impij legem & prophetas in speciali nesciebant, uerum ex pharisæis & scribis discere poterant utrunque aduentum Messie prædictum à prophetis: alterum aspernabilem & contemptum in humili forma & occidendum, quod & hodie Thalmudistæ concedunt & legunt: alterum magnificum ac formidabilem. Verum non uacat conferre quæ gesserat Iesus, cum his quæ prædixerunt prophete. Tantum hoc agunt ut Iesum Christum extinguant. Venturum autem se dicit Christus, sedentem ad dextram uirtutis dei, quia humiliavit seipsum, factus obediens usque ad mortem, propter quod & deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen. Venturum quoque se dicit cum nubibus cæli. Ascendit enim in nube, cum nube ueniet, id est cum corpore suo, quod assumpsit à uirgine, in quo & ascendit in cælum, ibique sedet à dextris dei in gloria, donec cum multiformi ecclesia, quæ est corpus eius & plenitudo, ad iudicium sit uenturus, sicut dicit Mattheus 25.

Summus autem sacerdos scindens uestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam: quid uobis uidetur? Qui omnes condemnauerunt eum esse reum mortis.

Summus

Summus hic pontifex pietatis imaginem suæ prætexens impietati, lacerat uestimenta sua, quo blasphemiam redderet atrociorē. Quid, inquit, præterea opus est testibus? Ipsi audistis manifestam blasphemiam. Pontifex impius suæ gloriæ studiosus non fert prædicari gloriam Christi, sic existimans suæ maiestati decedere quicquid illi tribuitur. Furor illum paulò ante submouerat à sede, & interim assurgit filio dei: nunc lacerat uestimenta, uaticinans futurum, ut re gnante uero pontifice Iesu carnale pontificium & pharisaicum uel ceremoniarum, quod propheta futurum prædixerant, & tamen hæc scelerato pontifici blasphemia est, quæ non eget testimonijs. Quid, inquit, uobis uidetur? Omnes consentientibus calculis iudicauerunt esse facinus morte plectendum: dignum tali sacerdote concilium. Nunc considerandum est, quibus modis in talibus concilijs tractetur ueritas Euangelica, ubi sacerdos impius, pro deo cupiens haberi, non fert prædicari gloriam filij dei, ubi scribæ tacent quod didicerunt ex prophetis, ubi primores populi conspirant cum templi primatibus, ubi adsunt ministri militesq; conducti & ad omne scelus suapte malitia parati.

Et cœperunt quidam conspuere eum, & uelare faciem eius, & colaphis eum cædere, & dicere ei: Prophetiza: & ministri alapis eum cædebant.

Iam statim ueluti rite damnatum Iesum, quidam ex ipsis cœperunt conspuere, alij uelo obtegere clementissimam faciem eius, & colaphis impactis dicere illi: Vaticinare, quis te percusserit. Huiusmodi ludibrijs exprobrâtes illi quod se passus esset haberi prophetam. Porro ministri sacerdotum alapis illum cædebant. Hęc erant morte crudeliora, uerum hoc exemplum nobis parabat. Ferendam pro eius nomine irrisionem prepararet, quam pro nobis sustinebat. Qui autem pro Iesu prophetam uoluit haberi. Sed dispensauit hoc, ut nos ad tolerantiam tunc casus est alapis, & nunc cæditur blasphemijs falsorum Christianorum. Qui consputus saluius infidelium, nunc uesanis fidelium opprobrijs exhoratur. Tunc autem Christus dominus à Iudæis consputus est, facie uelatus, & colaphis cæsus, quo passione sua nostrum reatum solueret, & uelamen facie sue lauaret, & colaphis quibus in caput percussus est, caput humani generis, stræ lauaret, & colaphis quibus expalmatus est, maxima laus eius à nostris manibus & labijs plauderet, cruce quoq; sua cruciatum nostrum solueret, & morte sua nostram necaret &c.

Et cum esset Petrus in atrio deorsum, uenit una ex ancillis summi sacerdotis: & cum uidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait: Et tu cum Iesu Nazareno eras? At ille negauit, dicens: Neq; scio, neq; no-
 tem cum uidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus: Quia hic ex illis est. At ille iterum negauit. Et post pusillum rursus qui astabant dicebant Petro: Vere ex illis es: nam & Galilæus es. Ille autem cœpit anathematizare & iurare, Quia nescio hominem istum quem dicitis. Et statim gallus iterum cantauit. Et recordatus est Petrus uerbi quod dixit

Matth. 26. 6

Luce 22. 5

Ioan. 18. 6

ratei Iesus, Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et coepit flere. Dum praedicta aguntur circa Iesum, Petrus timidus spectator sedebat in atrio inferiore, admixtus pontificis impij satellitio. Ibi decebat esse, quum esset abnegaturus Iesum. Huc uenit ancilla quaedam summi sacerdotis, ea cum uisisset Petrum, cum caeteris calefacientem sese ad prunas, intuita illum curiosus coepit noscitare speciem discipuli, & ait illi: Tu quoque eras cum Iesu Nazareno. Hac uoce territus Petrus negauit, dicens: Non noui hominem, neque scio quid dicas. Conueniebat magnificum pollicitatorum, quo magis agnosceret suam imbecillitatem a muliercula terreri, ut post intrepide Iesu nomen profiteretur, magistratus & reges sciret eam fortitudinem non esse uirium humanae naturae, sed spiritus diuini. Itaque territus Petrus, nec satis fidens ei loco, egressus est atrium, nec tamen recessit ab aedibus pontificis. Dum hic haeret, gallus cecinit. Audiuit Petrus, nec tamen uenit in mentem quid dixisset Iesus, tantum paucum habebat hominem. Rursus autem quum illum uidisset ancilla quaedam, coepit illum deferre apud circumstantes, dicens: Hic ex illorum numero est. Rursum Petrus mendacio elapsus est, negans se de numero apostolorum esse. Atque alii quanto post, ministri qui astiterant quum ab ancilla noscitaretur, quum & ipsi curiosius hominis uultum & cultum contemplarentur, coeperunt eum noscitare, & dicunt: Vere ex illis es: nam & Galilaeus es. Prima delatrix est mulier. Quantum autem periculum, Christi discipulum notum esse in aulis pontificum ac principum: nisi totum discipulum exuat periclitatur de capite. Ex sermone nis etiam idiomate periclitatur Petrus. Tales aulae nihil ferunt syncerae ueritatis. Nunc demum fiet germanus aulicus Petrus. Coepit enim execrationibus additis deierare, se prorsus non nosse Iesum de quo loquerentur: ac rursus galus cecinit. Nec prius ad se rediit Petrus, quam illum est intuitus Iesus. Tandem itaque recordatus sermonis quem dixerat Iesus: Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. Egressus est domum Caiphae, & erupit in lachrymas. Nec tamen fugit ad laqueum, quemadmodum Iudas, quia non per malitiam, sed per humanam imbecillitatem ceciderat, idque permissu domini, ut nos illius lapsus erudiret. Sic hic imber erumpens extinguit fulmen irae diuinae. Non flet autem nisi egressus palatium Caiphae: nam illic quo quisque peior est, hoc sibi magis placet.

CAPVT XV.

AT confestim, mane consilium facientes summi sacerdotes cum senioribus & scribis & uniuerso concilio, uincientes Iesum, duxerunt & tradiderunt Pilato.

Tota ea nox in aedibus Caiphae consumpta est, in perniciem & ludibrium Iesu. Mane uero statim inito rursus concilio, summi sacerdotes cum senioribus & scribis totoque confesso, uinctum Iesum abduxerunt, ac tradiderunt Pilato iudicandum, quem ipsi suo iam praediuicio damnarant. Nunc ex iudicibus sunt accusatores, Iudaeorum autem mos erat, ut quem morti adiudicassent, uinctum iudici traderent. Tradiderunt quidem Iudaei Romanis dominum, traditi sunt & ipsi a domino uicissim Romanorum manibus. Et implentur scripturae quae dicunt: Mala erunt ei secundum opera manuum suarum. Et iterum: Secundum opera manuum suarum da illis &c.

Et interrogauit eum Pilatus: Tu es rex Iudaeorum? At ille respondens, ait illi: Tu dicis. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. Pilatus

Matth. 27. a
Luce 22. g
Ioan. 18. e

Matth. 27. b
Luce 23. a
Ioan. 18. f

Pilatus autem rursus interrogauit eum, dicens: Non respondes quicquam? uide in quantis te accusant. Iesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus.

Auditis Pilatus illorum delationibus, appellauit Iesum reum: Tunc es ille rex Iudæorum? Iesus respondit: Tu dicis, tacite agnoscens quod erat. Quamquam ea uox nihil mouebat Pilatum, quum in Iesu nihil appareret quod argueret mundani regni affectatorem. Porro summi sacerdotes, ne qua posset elabi Iesus, uarios criminum articulos in illum congerunt, ut ex multis tandem aliquid saltem esset, quod moueret iudicem non admodum iniquum. Pilatus autem animaduertens, quod res ageretur odijs priuatis, captabat occasionem liberandi reum à causa. Itaque quum rursus adisset Iesum, nec ille quicquam responderet, ait: Non respondes quicquam in tanto capitis periculo? uide quot articulos isti tibi obijciunt. Iesus autem postea nihil respondit, non cupiens elabi ex hoc iudicio, ne mortis utilitas impediretur, et sciens sacerdotum malitiam non conquieturam, etiamsi hac uia non profecissent. Itaque sic mori uolebat, ut constaret eum mori uolentē, & sponte obedire patri cœlesti. Admirabatur autem præses, quod cum legis peritus esset & eloquens, & qui posset per defensionem abstergere calumnias, nihil diceret, sed malitiam calumniose accusantium fortiter sustineret.

Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex uinctis quemcunq; petissent. Erat autem qui dicebatur Barrabas, qui cum seditiosis erat uinctus, qui in seditione fecerat homicidium. Et cum ascēdisset turba, cepit rogare, sicut semper faciebat illis. Pilatus autem respondit eis, & dixit: Vultis dimittam uobis regem Iudæorum? Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum summi sacerdotes.

Pilatus præses quanquam ethnicus, tamen abhorrens ab homicidio hominis quem suspicabatur innocentem, nihil intentatum reliquit quo liberet eum, quandoquidem uidet ex ipso nihil auxiliij suppeditari quo posset liberari. Mos erat apud Iudæos, ut in die festo paschæ dimitteretur aliquis ex his qui ob capitale facinus essent uincti, quemcunq; populus Iudæorum petisset sibi donari. Habebatur autem tum in uinculis quidam ob facinora nobilis Barrabas, qui in ciuitate mouerat seditionem, & in tumultu patrarat homicidium. Hac occasione Pilatus decreuerat uti ad seruandum Iesum. Proinde quum populus ex more confluxisset ad postulandum remitti fontem aliquem, & hac ratione testificans quod ipsi incolumes euasissent ex Aegypto, Pilatus ita respondit: Duos habeo, Barrabam uobis notum, & Iesum quem dicunt regem Iudæorum. Vultis igitur ut Iesum uobis dimittam? Senserat Pilatus in sacerdotibus nihil esse præsidij, itaque confugit ad populum, sperans ut illorum favore liberaretur Iesus. Erfuturum erat, nisi pontificum infatigata malitia concitasset multitudinem, ut postularent sibi Barrabam potius condonari quam Iesum. Id quum præter expectationem præsidis accidisset: nam audierat eum esse gratiosum apud populum, non desinit tamen opitulari Iesu pro uiribus.

Pontifices autem concitauerunt turbam, ut magis Barrabam dimitteret eis. Pilatus autem iterum respondens, ait illis: Quid ergo uultis faciam regi Iudæorum? At illi iterum clamauerunt: Crucifige eum. Pilatus uero dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clama-

Matth. 27. 6

Luce 23. 6

1047. 18. 8. 19. 6

bant: Crucifige eum.

Hic strenue uigilarat pontificum uersutia, suam impietatem in multitudinis animos transfuderat. Nec alibi ualet talium pontificum auctoritas, quam ad excitandos principes & populos aduersus ueritatem Euangelicam. Rursum igitur clamat populus: Crucifige eum. Adhaeret Iudaeis usque hodie petio sua, quam toto labore impetrauerunt. Data onim optione sibi, pro Iesu saluatore laetronem & homicidam ac seditiosum elegerunt. Merito ergo salutem & uitam perdiderunt, & atrocinijs ac seditionibus in tantum sese subdiderunt, ut regnum & patriam perderent, libertatemque corporis & animae nunquam reciperent. Persuaserant & hoc pontifices, ut mortis genus omnium probrosissimum deligerent, quo Iesu nomen apud omnes Iudaeos in orbe redderet execrabile, propterea quod lex pronunciat execrabilem, quisquis penderet in ligno. Adeo non solum student Iesu uitam eripere, sed famam etiam honestam abolere, quod est homicidio crudelius. Non ferunt cuiusque nomen haberi sacrosanctum, praeterquam suum. Nec hic statim cedit illorum furori Pilatus, sed reclamauit: Caesaris praeses sum, mihi non est ius occidendi nisi rite conuictum: quid autem hic admisit cruce dignum? Nihil hic proficit praeses, sed furiosius etiam in clamabant: Crucifige eum. Nec prius tamen labefactata est praesidis constantia, quam obijceretur Caesaris per Christum laesa maiestas. Non enim conueniebat occidi Iesum, nisi pontificum uesaniae Caesaris subseruisset auctoritas, imperialisque maiestas, sed tunc infidelis & ethnica. Simile quiddam uisum est & in Constantiensis concilio: utinam dei gratia praueuiatur ut tale posthac nihil patretur.

Pilatus autem uolens populo satisfacere, dimisit illis Barrabam, & tradidit Iesum flagellis caesum ut crucifigeretur.

Pilatus uidens hinc imminere periculum a Caesare, hinc a populo tumultu ante, quum sciret innocentem Iesum, tamen uolens morem gerere implacabile odio pontificum, scribarum, seniorum et populi, pronunciauit in Iesum sententiam mortis: sed eadem sententia liberans innocentem a crimine, sacerdotes et populum condemnans. Innocentem enim pronunciauit, quem permittebat illis crucifigendum. Tales Pilatos semper habitura est Euangelica ueritas, utinam non exoriantur illis etiam pontificibus sceleratioribus, utinam non huiusmodi nostra ferret aetas & pietas ad multorum innocentium horrenda martyria, quae nunc scribenti nimium certa & cogitanti succurrunt, Dominus autem intemeritum triumphat in suis & regnat. Iesus itaque damnatus, primum flagellis caesus est. Quum nec ea poena satiare animos crudelissimos Iudaeorum, traditus est cohorti ut crucifigeretur. Sic uisum est consilio diuino, ut Iesus fons omnis pietatis & gloriae, ab omni genere hominum per omne ludibrii genus exerceretur, & primores populi consultarant, ministri ceperant, Caiphas summus pontifex damnauit, fons omnis huius tragediae, consilium cum ministris uelut damnato illudit, populus obstrepit insanis clamoribus, Caesaris nomen terret, Herodes spernit, Caesaris praeses pronunciauit, & in his omnibus est Caiphas. Et in his autem satanas. Superest ut prophana militum cohors suas agat partes. Et in his quoque erat Caiphas. Omnis ignominia Iesu, omnis pernitia, si qua est, a Caipha est, qui rem sanctissimam imprudens peregit. Peregit enim hoc sacrificium, sine quo nemo saluus esse poterat.

Math. 27. c
Ioan. 19. d

Milites autem duxerunt eum in atrium praetorii, & conuocant eos

tam

tam cohortem, & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spicuebant caput eius arundine, & conspuebant eum: et ponentes genua adorabant eum. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eum uestimentis suis, & educunt illum ut crucifigeret eum.

Milites itaque Pilati damnatum dominum Iesum duxerunt intro in atrium prætorij: nam Iudæi qui religiosi uideri uolebant, non audebant ingredi prætorium hominis ethnici, quo puri accederent ad celebrandum suum illud phasæ. Et tamen animus illorum erat in medio prætorio, erat in manibus militum, quos suapte sponte propensos ad malefium huc instigarant. Posteaquam Pilatus sic fauit Herodes, non existimabat magni referre quomodo occideretur. Sic fauit Iohannis, ut tamen ad puellæ preces amputarit illi caput. Constantius fauit Pilatus, sed tandem denique tradidit illum crucifigendum: ne quis Euangelicæ ueritatis professor ullum præsidium sibi poneret in hoc mundo. Milites igitur quo magis satiarent animos suos ignominij in Iesum, uelut insigni cohortem, & per ludibrium induunt illum purpurea ueste, & arundine quam ceperunt consalutare, dicentes: Aue rex Iudeorum. Quin eius, & conspuebant eum: flexisque genibus adorabant eum. Iesus autem tacitus se præbebat ad omnem contumeliam, nostris malis debitam ignominiam in se transferens, ut nos eueheret ad suam gloriam. His peractis exuunt eum purpura, & induunt illum uestibus proprijs, quo crucem inter maleficos baiulans non se posset ab omnibus. Et hoc quoque curauerat sacerdotum malitia, quo magis alienarentur omnium animi.

Et angariauerunt prætereuntem quempiam Simonem Cyrenæum uenientem de uilla, patrem Alexandri & Rufi, ut tolleret crucem eius. Inter eundem, dum suam Christus crucem propriam ferret per urbem, ad maximam contumeliam, magno ac difficili labore, obuium habuerunt milites ducentes Christum cum latronibus, ut exirent ad crucifixionis locum, Simonem quendam Cyrenensem, redeuntem de uilla in urbem. Is erat pater Alexandri & Rufi, hominum piorum, & Christi discipulorum, & apostolis per multa tempora bene cognitorum. Hunc tamen notum & diuitem militari procaria pro more suo hominibus illudentes, nolentem compulerunt ut tolleret crucem domini Iesu post ipsum, non ut illi parcerent, sed ut citius absoluerent negotium occidendi. Quosdam necessitas adigit ad amplectendam crucem Iesu. Verum hæc felix est necessitas, quæ propellit ad salutem. Apostoli neminem cogunt ad Christum, ad fidem, sed milites cogunt. Malorum uolentia multis facti sunt.

Et perducunt eum in Golgotha locum, quod est interpretatum, Caluarie locus. Et dabant ei bibere myrrhatum uinum, & non accepit. Perducunt dominum Iesum in locum fontium supplicij infamem, cui nomen apud Syros Golgotha, quod Latinis sonat Caluarie locus. Illic dederunt illi bibere uinum myrrhatum, id ex more solet offerri morituris: quod cum gustasset noluit bibere. Iam enim biberat cum discipulis suis non bibiturus de fructu uitæ, donec biberet nouum in regno dei. Oderat uinum acerbum, quod illi produxit Iudaicæ synagogæ uitis, uersa in amaritudinem, domino cultoribus

Matth. 27. d
Luce 23. d

Matth. 27. d
Luce 23. d
Ioan. 19. d

suo, quæ pro miltibus uuis dederat labruscas. Oderat uinum impiorum. Aliud uini genus sitiebat, id erat mustum Evangelici spiritus, quem post effudit in discipulos, ipse relatus in coelum. Alius Euangelista dicit acetum cum felle mixtum, & alius aliud quid oblatum esse domino, & nihil in his contrarium. Quum enim nulla esset apud ipsos disciplina, alij alia offerebant, & alius quidem acetum & fel, alius autem uinum myrrhatum. Fortasse et uinum acetosum erat, et amara myrrha, et huic conueniunt quod dicit hic myrrhatum uinum, alius acetum cum felle. Nam & uinum acetum dici potest, quia acetosum, & myrrha fel, quia amara. Neque in hoc dissonat, quod unus dicit, Dabat ei bibere, ipse autem non sumebat: & alter, Quum gustasset nolebat bibere. Omnino enim dicens, Non accepit, manifestauit quod non biberit.

Matth. 27. d

Luce 23. c

10. d. 19. d

C Et crucifigentes eum diuiserunt uestimenta eius, mittentes sortem super eis quis quid tolleret. Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.

Hic figitur salus in ligno, primo fuerat mors infixæ in ligno. Lignum primum fuit scientiæ boni & mali, secundum hoc boni tantum & uitæ nobis secunda uis. Extensio primæ manus ad lignum mortem apprehendit, extensio secunda uis tam quæ perierat inuenit. Ligno hoc crucis uehimur per mare undosum ad terram benedictam uiuentium. In crucem ergo Romano nimirum more Christo domino sublato, hic qui crucifixerunt eum partiti sunt inter se uestes illius, missis sortibus super tunica, quæ erat contexta ut scindi non posset, cui tota conuenteret. Agnosce pauperem Iesum, cui iam nihil erat reliquum in terris. Pendet mediis inter coelum & terram. Sic nudum, sic expeditum, sic sublimem esse commemorat, qui uelit cum hoste salutis humanæ congregari. Dauid confictus cum Goliath abiicit arma Saulis, quæ magis onerant quam iuuant. Erat autem hora tertia, quum illum suffigerent in crucem. Alius dicit horam sextam cuius distantia rationem uide apud Augustinum de consensu Euangelistarum. Simpliciter se absoluit Lyranus, intelligens tempus inter sextam & tertiam partem diei. Aliter se expediunt Petrus Comestor & Stapulensis. De quo si placeat & Erasmus uide in annotationibus in hunc locum.

hæc dicitur

hæc dicitur

Isaie 53. d

Et erat titulus causæ eius inscriptus: Rex Iudæorum. Et cum eo crucifigunt duos latrones, unum à dextris, & alium à sinistris. Et impleta est scriptura quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est.

Additus est summo crucis stipiti causæ titulus: Rex Iudæorum, tribus linguis, Hebræa, Græca, Romana, ut ostenderet deus, nec occidendo potuisse Iudæos efficere quo minus Iesus Christus rex esset Iudæorum, uolentium nomen tantum, iuxta illud: Ego autem constitutus sum rex ab eo, super montem sanctum eius. Quin uerius simul est rex & pontifex, cum eximiam carnis hostiam patri offerret in ara crucis, & regis nihilominus titulum prætenderet, ut cunctis imperium. Simulque cum eo crucifigunt duos latrones, sic ut alter illi penderet dexter, alter sinister, mediumque Iesum hinc & hinc cingerent. Et hoc à sacerdotibus impijs erat procuratum, ut ignominiosum redderent nomen Iesu. Præterea xerat hoc futurum prophetia Isaia: Cum iniquis deputatus est. Sunt autem hi duo latrones figura duorum populorum, Iudæorum scilicet & Gentium. Veritas enim impij sunt, Gentiles tanquam naturalis legis præuaricatores, Iudæi uero contemptores, & huius & eius quam dominus dedit legis. Sed hic quidem Gentium utilis gratus fit & respicit ac saluatur, Iudæicus autem usque ad finem blasphemus

calamo, potum dabat ei, dicēs: Sinite, uideamus si ueniat Elías ad deponendum eum.

Eam uocem Gentilibus & Romanis militibus incognitam, quum excepissent quidam de circumstantibus, nec satis intelligerent, dicebāt: Hic Elíam uocet. Tales & hodie sunt multi, semperq̄ futuri sunt pseudoprophetae, nihilo melius interpretantes uerba Christi quàm irrisores illi sunt interpretati. Post haec quum rursus clamasset dominus: Sitio, quidam accurrit, ac spongiam aceto imbutam, impositamq̄ arundini porrexit illi, dicens: Sinite, uideamus an ueniat Elías, qui deponat eum de cruce. Iesus autem rursus gustato aceto, noluit bibere. Aliud uinum sitiebat, quod illi nolebant porrigere, qui nolebant Euangelio credere. Elíæ quoq̄ aduentus uidetur ab illo etiam tempore Iudæis expectatus in quolibet graui euentu uel opere perficiendo: ut fuerit etiam tunc in Iudæis loquendi: Hanc rem difficilem Elías expediet: quasi dicere uelint, Id nemo perficiet. Cursus autem spongiam parantis processit ex uerbo aliquo domini, conquesti se sitire. Omnia autem uidentur acta fuisse ad insultationem Christi & contemptum, proq̄ scribarum & sacerdotum gratia, qui illum cupiebant amarissime mori. Vnde & ipsi quoq̄ suo tempore acerbissima clade absumpti sunt, cum loco & gente tota, & multipliciter, longa quoq̄ calamitate.

D Iesus autem emissa uoce magna expirauit. Et uelum templi scissum est in duo, à summo usq̄ deorsum.

Dominus clamat moriens, quasi mortem irritans propria potestate sua moriens. Quæ autem uox illa fuerit, & quæ uerba ultima, Lucas manifestat: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Etenim & hoc beneficium Christi est, quod nunc sancti spiritus in manus patris ascendunt corpora deferentes, et uitam relinquentes mortalem, qui olim ab inferis animarū beatarum tenebantur, donec ueniret qui captiuus prædicaret remissionem. Scissum est autem uelum, hoc est interstitium quaecumq̄ inter sancta sanctorum & sancta, per hoc deo manifestante, quod gratia spiritus è templo euolet, & quod sancta sanctorum omnibus conspicua & accessa fiat per mortem Christi. Sublata sunt tunc & cessarunt illic omnia sacra, Romanis illuc ingressis, ut uideatur etiam tunc templum lugere, idq̄ quod in calamitatibus facere solent homines, quum uelates lacerantur, hoc & templum quasi animatum esset faciat, compatiens conditori, & detestans indignam mortem tanti hominis patientis, quum uelatas prias dirumpendo. Et aliud quiddam in hoc manifestatur. Caro ipsa uelamentum est nostri templi spiritualis, quod est mens nostra. Itaq̄ uirtus quam habuit caro aduersus spiritum, passionibus Christi dissoluta est, à summo usq̄ deorsum, hoc est ab Adam usq̄ ad nouissimos homines. Etenim Adam sanctificatus passionibus Christi, non ultra caro illius maledicta erit, neq̄ corruptioni obnoxia, sed incorruptibilitate honorati sumus omnes.

Videns autem Centurio qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Vere hic homo filius dei erat.

Cessat iam umbra & error, ubi simul quoq̄ proditur ueritas. Nec ullus post hac sacerdos propitiaturus ingreditur, Christo iam introeunte in sancta, semel immolata uictima pro totius mundi salute, proq̄ gentium omnium saluatione, quæ sola uictima sufficit pro totius mundi abluendis peccatis. Centurio itaq̄ gentilis qui astabat, minister fit & testis mortis Christi, qui cum multis supplicio morientes conspexisset, quum uidisset Iesum præter aliorum morem statim à ualido

à valido clamore efflaxit spiritum, ait: Vere homo hic filius dei erat. Agnosce ergo primitias gentium Christi uirtutem profitentium, agnosce fructum dominicæ passionis. Qui hominem proficitur ac dei filium, hominem ac deum proficitur, tamen Centurio quidem adhuc dei filium sentiebat hominem insignitum ter deo charum, quia nondum à patre glorificatum coram gentibus. Considera & illud, quomodo Christus uere seruator, in cruce moriturus seruauit alterum latronibus, mortuus ilico trahit Centurionem ad professionem Christianam.

Erant autem & mulieres de longe aspicientes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris & Ioseph mater, & Salome, & cum esset in Galilæa sequebantur eum, & ministrabant ei, & aliæ multæ quæ simul cum eo ascenderant Hierosolymam.

Vide hic ordinem controuersum: Iudæi occidunt, Gentilis confitetur: discipuli fugiunt, mulieres adstant. Erant enim, inquit, ibi & mulieres &c. & Ioseph mater. Et hæc, ait Vulgarius, dei genitrix erat, quæ quatenus Iosepho desponsata fuit, mater erat & filiorum Ioseph, patris, ut dicit, Iacobi & Ioannis. Dicitur autem horum mater, hoc est nouerca, sicut et Iosephi uxor dicebatur, hoc est sponsus. Salome autem erat mater filiorum Zebedæi. Et aliæ quoque multæ nomina enim celebrium tantum commemorauit Euangelista, quæ quum esset ac doceret in Galilæa, sequebantur eum, ac ministrabant de facultatibus suis, cumque his aliæ quàm plures, quæ tandem & Hierosolymam euntem fuerant consequutæ.

Et cum iam sero esset factum, quia erat parasceue quod est ante sabbatum, uenit Ioseph ab Arimathæa nobilis decurio, qui & ipse erat expectans regnum dei. Et audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Matth. 27. 8
Luca 23. 8
Ioan. 19. 8

Cum iam appeteret uespera, quoniam erat dies parasceues, id est præparacionis. Hoc enim nomine Iudæi inter Græcos commorantes, sextam sabbati appellabant, quia in eo quæ sabbato erant necessaria præparabatur, secundum quod de manna dictum est: Sexta die colligetis duplum. Quia ergo sexta die homo factus & tota mundi creatura perfecta, septima autem quieuit conditor & sanctificauit: ideo saluator eadem sexta die crucifixus hominem recreauit & restaurauit. Ideoque & cum accepisset acetum, dixit: Consummatum est. Sabbato autem in sepulchro quiescens, resurrectionis, quæ octaua die futura erat, exitum expectauit. Venit Ioseph Arimathiensis nobilis decurio, id est senator municipalis, qui & ipse deo deuotus erat, pius & fidelis, ac deum timens, & Christi doctrinam & personam diligens, & expectans promissiones prophetales, uerbo scilicet dei credens. Is bene de Christo sentiens, fretus nobilitate sua ausus est periclitari de fauore erga Christum ut adiret Pilatum, & peteret sibi donari corpus Iesu, ut illud à maledictione crucis eriperet, & digno sibi loculo sepeliret. Iam enim exemplo Christi ad mortem propter iustitiam animatus, ostendit se publice Christi discipulum.

Pilatus autem mirabatur si iam obisset, & accersito Centurione, interrogauit eum si iam mortuus esset. Et cum cognouisset à Centurione, donauit corpus Ioseph.

Cum multi etiam fractis cruribus soleant biduum uiuere, non uane miratus est Pilatus, si iam mortuus esset Christus, cuius adhuc iuuenis personæ corpus est Pilatus, si iam mortuus esset Christus, cuius adhuc iuuenis personæ cor-

pus non fuerat contractum. Itaq; accersit Centurionem, qui cruci affiterat, per contactus est eum, an iam mortuus esset. Et cum ex eo certū cognouisset, quod iam mortuus esset, donauit illi corpus Iesu. Iesus enim quamdiu uiuebat, impijs etiam sese pulsandum & conspuendum permisit; mortuus statim dignitatem suā sibi uindicauit, nec tractari uult nisi ab honestis ac pijs, ne conspici qui dignitatem suam in hac uita sua uindictet; tantum per honorem & contumeliam, per gloriam & ignominiam peragat negotium Euangelicum, a morte dignitas efflorescit.

Ioseph autem mercatus sindonem, & deponens eum inuoluit sindone, & posuit eum in monumento quod erat excisum de petra, & aduoluit lapidem ad ostium monumenti.

Lætus Ioseph de tam pretioso munere, mercatus est sindonem, & honorabili officio defuncti corpus excepit, & in saxum inclusit, aduoluens lapidem ingentem ad ostium monumenti, ne quis facile corpus suffuraretur. Id non solum egit, sed cum multis religiosis uiris & mulieribus. Quod uero Beda & alij scribunt de sepulchro dominico, & quod hodie quoq; ostenditur, nihil ad Euangelium pertinet. Satis constat totam Hierosolymam euersam, & prophanata omnia, per tot bella & hominum impiorum insaniam, maxime Iudæorum.

Maria autē Magdalene et Maria Ioseph aspiciabant ubi poneretur. Contemplabantur hæ mulieres ubi reponeretur corpus ad uesperam illius diei, quando pro solennitatis initio aliquod sepulto officium deferre non licebat per sabbatum, ut quum primum liceret ex more gentis illius officium & honorem sepulturæ exhiberent.

CAPVT XVI.

Luce 24. d
1047. 20. d

AT cum transisset sabbatum, Maria Magdalene & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata, ut uenientes ungerent Iesum. Quoniā in die parasceues, quo sepultus est dominus, sub uesperam mox à solis occasu magni sabbati religio uetabat quicquam operandi facultatem, intermisso quod cœperant in parandis aromatibus, expectabant facultatem diei finem. Statimq; ut occidisset sol, & redisset operandi facultas, Maria Magdalene & Maria Iacobi mater & Salome quæ fuit uxor Zebedei, paratis aromatibus ueniebant ut ungerent Iesum, summoq; diluculo primo die sabbatorum quæ erat dies solis, & nunc dominica dicitur, cuius respectu dies lune dicitur feria secunda & secunda sabbati. Eo die qui sabbatum exactum sequitur, et à parasceue tertius, piæ mulieres ueniunt ad monumentum, iam ad solis exortum tum albescente cœlo, ex quo magnus quærendi & inueniendi dominum feruor charitatis ostenditur.

Et ualde mane una sabbatorū, ueniunt ad monumentum, orto iam sole. Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidē ab ostio monumenti? Et respicientes, uiderūt reuolutum lapidem. Erat quippe manus ualde.

Quod alius dicit Diluculo, hic dicit Valde mane. Est enim diluculum medium inter tenebras & crepusculum noctis, & diei solarem claritatem. Veniunt autem ad monumentum, orto iam sole, hoc est ad ortum propinquante, uel existente

existente prope orizontem. Dicebant autem inter sese sic cōmigrantes formi-
na: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Erat enim ingens, nec
muliebrium uirium erat eum amoliri. Et circumspiciunt, si quem nancisci pos-
sent, cuius ad id uterentur opera. At dum respiciunt, uiderunt lapidem iam a-
motum. Id uero dictum intelligi potest de prima profectioe mulierum, nam
non semel sepulchrum uisitasse conijcitur ex Euangelistarum uerbis & dispo-
nantiā, ut uidetur. Dicitur enim, Valde mane ueniunt ad monumentum, tene-
bris adhuc existentibus, sed discente & aurora iam cōcepta, quia iam dominus
Iesus resurrexerat. Orto iam sole cum secundo eis à sepulchro redeuntibus oc-
currit dominus in uia. Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis & c. hoc
quoq; in prima profectioe. Lapidis autē tam magni reuolutio non erat opus
trium mulierum, sed multorum & fortium uirorum. Quem respicientes uide-
runt reuolutum. Quod indicium esse poterat dominum resurrexisse. Et hoc ad
primam earum profectioem pertinet ad monumentum. Quod uero subne-
dit ad secundam.

Et introeuntes in monumentum, uiderunt iuuenem sedentem in dex-
tris, coopertum stola candida, & obstupuerunt. Qui dixit illis: Nolite **B**
expauescere, Iesum quæritis Nazarenum, crucifixum, surrexit, non est *Matth. 28. 4*
hic; ecce locus ubi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis eius & Pe- *Ioan. 20. c*
tro, quia præcedet uos in Galilæam: ibi eum uidebitis, sicut dixit uobis.

Mox ingressa monumenti uestibulum, uiderunt iuuenem ad dextram mo-
numenti partem, amictum stola candida. Ad hoc spectaculum tametsi lætum
fastidiosum, tamen quia subitum & inexpectatum, obstupere mulieres.
Has illico blando alloquio consolatur angelus, dicens: Non est quod expauesca-
tis, Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hic; ecce locus ua-
cuus ubi posuerunt corpus illius: quare superuacuum est officium quod illi
parastis. Quin potius abite, renūciate discipulis illius morte domini uehemen-
ter exanimatis, sed præcipue Petro, cui ter abnegatus dominus mœrorem con-
geminat, quod Iesus præcedet eos in Galilæam, eò sequantur: illic eum uiuum
uidebitis quem desletis mortuum. Ideo nunc expauescere non debetis: pauent
illi qui non amant aduentum domini uel ciuitum superiorum. Iubet autem ire
in Galilæam, ut ibi tutiores essent & animæ quiore a timore Iudaico. Ibi eum
uidebitis, iuxta Matthæi uerba, qui dicit discipulos in Galilæam abiisse in mon-
di, docendi, baptizandi omnes gentes. Alij autē Euangelistæ docent eum an-
te a sepius uisum discipulis.

At illæ exeuntes, fugerunt de monumento: inuaserat enim eas tre- *Matth. 28. c*
mor & pavor, & nemini quicquam dixerunt: timebant enim. *Supra 14. c*

Id ipsum hoc est quod Matthæus, Exierunt cito de monumento cum timo-
re, et adiecit, Et gaudio magno propter uerba angeli. Vnde fidem conceperant
& credulitatem, quam non in prima & matutina uisitatione acceperant. Et ne
mini quicquam dixerunt, intelligitur circa monumentum, quia nihil angelo
responderunt, timore impediēte, postea tamen omnia patefecerunt, tam an-
geli dicta quam Christi, in uia apparentis redeuntibus.

Surgens autem Iesus mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ **C**
Magdalene, de qua eiecerat septem dæmonia. Illa uadens nunciauit his

qui cum eo fuerant, lugentibus & flentibus. Et illi audientes quia uiuere & uisus esset ab ea, non crediderunt.

Mane surrexit, sepultus est sero, ut hoc adimpleretur: Ad uesperum demorabitur fletus, & ad matutinū letitia. Sepultus autem sexta sabbati, que parasceue dicitur circa uesperum, sequenti nocte & tota die sabbati cum sequenti nocte in monumēto positus, die tertia, id est primo mane, prima sabbati surrexit, id est die eo qui sequitur sabbatum. Quomodo autē apparuerit primo Magdalene, Ioannes plenissime dicit. Ei apparet unde eiecerat septem, id est multa demonia, quia meretrices & publicani præcedunt synagogam in regnum dei, ut latro apostolos, & mulieres istę discipulis omnibus. In principio mulier auctor culpæ uiro fuit, executor erroris uir fuit: nunc quæ prima mortem gustauit resurrectionem prima uidet. Et ne perpetui reatus apud uiros opprobrium sustineret, quæ uiro culpam transfuderat, transfundit & gratiam. Vnde hæc que lugentibus lætitiā resurrectionis prima nunciauit, à septem demonibus curata memoratur, ut ubi abundauit peccatum, superabundasse & gratiam monstraretur. Quod autem discipuli resurrectionem domini tarde crediderunt, non tam illorum infirmitas quam nostra firmitas fuit; dubitantibus enim resurrectionem per multa argumenta monstrata est, quibus & nos firmitus solidamur. Ad eum cederat discipulis quod toties promiserat se tertio die surrecturum.

Luce 24, b

Post hæc autem duobus ex eis ambulantis ostensus est in alia effigie, euntibus in uillam: & illi euntes nunciauerunt cæteris, nec illis crediderunt.

Hoc Lucas longius & apertius conscripsit, quomodo oculi eorū tenebatur, ne illum agnoscerent, postea autem cognouerunt eum in fractione panis. Vnde & iidem duo surgentes eadem hora reuersi sunt in Ierusalem & ceteri. Erant uenerunt congregatos undecim discipulos, & eos qui cum ipsis erant, dicens: Quia surrexit dominus uere, & apparuit Simoni & ceteris.

Luce 24, f
Ioh. 20, e

Nouissime autem, recumbentibus illis undecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia his qui uiderant eum surrexisse, non crediderunt.

Non tam nouissime quam postea poterat transferri, ne hic cuiquam serupulus oboriatur, si omnino fuerit ultima apparitio, cū uideatur hæc facta tunc cum manus & latus exhiberet Thomæ palpanda: cuius incredulitatem, quod decem apostolis & alijs multis qui eum rediuiuū uidissent ex mortuis, non credidisset, reprehēdit. Postea enim apparuit illis ad mare Tyberiadis. Voluit certe te Marcus ostendere, primum Christum apparuisse Mariæ Magdalene, post hæc duobus ambulantis in uilla, postremo recumbentibus undecim, idiplum autem & uno eodem quoque die, nempe primo sabbatorum. Nec omnibus exhiberi debebat mortis ac resurrectionis spectaculum, uerum ad fidem Euangelicam sufficebat rem semel per idoneos testes esse comprobata. Alioqui quomodo credent gentes quæ gesta sunt, si tam essent diffidentes apostolorum narrationi quam Thomas, & alij quidam ex ipsis initio fuerant?

Matth. 28, d

D Et dixit eis: Euntes in mundum uniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui uero non crediderit, condemnabitur.

Posteaquam tandem uobis hæc omnia multis ac certis argumentis probata sunt.

ta comperta sunt, ite in mundum uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, hoc est uniuersis totius orbis terrarum nationibus. Omibus enim mortuus sum, omnibus resurrexi. Nihil iam opus est obseruatione ueterum ceremoniarum, nihil opus uictimis & holocaustis ad expianda commissa. Quicumque per gratiam à deo accipiendam, dum capax est rationis, & audierit prædicari Euangelium, crediderit, per quod omnibus in me credentibus, per mortem meam offertur gratuita remissio peccatorum omnium, & huius gratiæ signum receperit aqua tinctus in nomen trinitatis & Christi, saluus erit. Qui uero credere recusauerit, auditis & intellectis ex Euangelio, non est quod fidat quibuslibet alijs obseruationibus, sed iusto dei iudicio condemnabitur. Hæc uia patet omnibus ad salutem, sed una fides scilicet in Christum, uel fiducia in deum patrem per Christum omnium redemptorem & mediatorem unicum. De paruulis uero quos constat ab apostolorum temporibus & ordinatione fuisse cum cæteris de familia credentibus baptizatos, superuacanea nunc tentatur disputatio. Per alios paruuli credunt, & baptismo offeruntur, sicut & ex alijs ea quæ baptismo eis remittuntur peccata contraxerunt. Non sunt minoris æstimandi nostri Christianorum paruuli quàm Iudæorum, qui octauo die infantes circumcisi, inserti fuerunt in dei populum, cui successit in Euangelio baptismus fluminis & fluminis. Re uera enim paruulos amplectitur Christus & infantes, & suam benignam gratiam pollicetur & largitur, qua inter dei filios & ecclesiasticos fideles adnumerentur, ut eiusce rei signum illis negari stultitia sit, & in saluatorem Christum non ferenda iniuria, qui longe pronior est ad miserendum quàm ad damnandum. Sed de hac re multi multa scripserunt, ob præsumptiones Catabaptistarum, qui in exercitati in scripturis, sese pro doctoribus uenditant non uocati, & nihil idonei ad prædicandum.

Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur, In nomine meo dæmonia eijcient, Linguis loquentur nouis, Serpentes tollent. Et si moriferum quid biberint non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt.

Ne uero uestra prædicatio fide careat, addetur & miraculorum uis, si modo ad sit Euangelica fiducia, & res ipsa miraculum poscat. Præcipua uis Euangelicæ gratiæ in animis est, sed tamē ob incredulos & infirmos hæc quoque prædicatio, ubi profectus Euangelij requireret miraculum. Qui in me posuerint fides nec meritis, sed diuina potestate ac uirtute, & gratia fidei plantandæ in electis. Dæmonia quoque eiecta sunt è toto orbe, dum dæmonum cultus & superstitio cessit prædicato Euangelio, eliminatusque est idolorum cultus, & unius dei fides & religio plantata in orbe. Error multiplex agnitus est, & damnatus ab Euangelicæ doctrinæ prædicatoribus. Linguis locuti nouis. Id in die pentecostes factum constat, sitque quotidie, dum fideles ueteris uitæ sæcularia uerba detestari incipiunt, sancta intonant, dei mysteria atque laudes pro omni uirili extollunt. Serpentes tollunt & abigunt. Id patet de Paulo Acto. 28. qui percussus à uipera in nullo læsus fuit, sed uiperam ex manu pendentem in ignem excussit. Mortiferum si quid biberint non eis nocebit. Id in Ioanne Euangelista implentum historiae canunt, haud dubie in multis alijs olim & hodie contingit, ut narath hoc loco Iacobus Stapulensis. Aegrotis imponent manus & bene habebunt. In exordio ecclesiæ necessaria fuerunt miracula, ut fides illis confirmaretur &

nutriretur: fide autem ecclesie confirmata, non sunt necessaria. Ideo miraculorum gratia nedum apostolis & maioribus in ecclesia data est, sed etiam simplicioribus credentibus. Nec quis protinus sanctus & fidelis habetur, qui miracula operatur, quandoquidem & Iudas potestatem accepit, & exercuit concludenda miracula.

Luc. 24. 8

Et dominus quidem Iesus postquam loquutus est eis, assumptus est in coelum, & sedet a dextris dei.

Posteaquam loquutus est discipulis suis ultimo in monte Oliueti, non tantum quae iam dicta sunt, sed & alia quaecumque placuerunt, assumptus est in caelum. Nam & Lucas alia adijcit in fine Euangelij sui, quae loquutus est, priusquam eleuatis manibus benedicens apostolis, & ijs quos uoluit gloriosissima ascensionis esse conscios, propria uirtute ferretur in coelum: turba comitatus non solum sanctorum patrum, quos e reatu mortis eduxerat, sed & sanctorum angelorum, quibus comitatus fertur in coelum super omnem uirtutem & potestatem, accepto regno super caelestia & terrestria. Et de sessione domini ad dexteram patris dicitur Psalmo centesimo decimo: Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Illi autem profecti, praedicauerunt ubique, domino cooperante, & sermone confirmante sequentibus signis.

Discipuli post acceptum spiritum coelestem profecti sunt per totum orbem, in Asiam, Africam, & Europam, & annunciauerunt Christum et Euangelium eius, sicut erant iussi, non tantum in Iudaea: & successit ubique res, licet adueritate mundo. Signis enim & uirtutibus confirmauerunt fidei catholicae doctrinae, domino ipsis cooperante, imo omnia in ipso operante, & confirmante signis & prodigijs, de quibus desyderantur ueteres historiae, de singulis apostolorum actis, qualia Lucas scripsit de Petro & Paulo: id quod & Psalmista praedixit: Dominus dabit uerbum euangelizantibus uirtute multa.

FINIS.

LIBRARY OF THE
MUSEUM OF NATURAL HISTORY
LONDON

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be organized into several paragraphs or sections, but the individual words and sentences are too light to transcribe accurately.

